NON-ENS
PRÆ-ADAMITICUM,

SIVE


Confutatio Vani & Socinizantis cujuſdam Somnii, quo S. Scripturæ prætextu incautioribus nuper imponere conatus eſt quidam

ANONYMUS,

fingens.

Ante Adamum primum homines fuiſſe in mundo.

AUTORE
ANTONIO HULSIO.



LUGD. BATAV.
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM.
CIↃ IↃC LVI.

Ampliſſimo, Doctiſſimo, Conſultiſſimoque Viro

D. DAVIDI de WILLHEM J.V.L. vtriuſque Curiæ, Brabanticæ & Celſiſſimi Arauſionum Principis, Senatori Graviſſimo.

Vir Ampliſſime.

VEre dixit Gentium Apoſtolus 2 Tim. 4: 3. *fore ultimis hiſce temporibus homines*, qui ſanam doctrinam non ſufferent, ſed auribus prurientes ipſi ſibi ſecundum ſuas illas peculiares cupiditates coacervabunt doctores, & à veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò divertent. *Impletum hoc eſſe & indies impleri, triſtis corruptiſsimi noſtri ſæculi edocet experientia. Videmus homines more Athenienſium nil ſapere niſi quod novum eſt. In Areopagum hodie ducuntur illi, qui novos Deos concionantur, reliqui inferiora premunt ſubſellia, qui antiquum ve-*

rum propugnant iis habentur ſimiles , qui antiquatum in veſtibus ritum adhuc obſervant , unde verbum Dei, quo nihil antiquius , non poteſt eſſe non contemptui ; hominum enim nunc loquendi vices ſunt,non Dei, ſiquidem mos per inſanam Scholaſticam Theologiam,quo, non quid Deus , ſed quid Thomas vel Scotus dicerent, attendebatur, introductus , revocari incipit ab iis etiam, qui Euangelii luce ſe illuſtratos profitentur. Doctorum nomina crepant academiarum pulpita, horum nunc, non veritatis , cauſa diſceptatur. Et hoc hominum φιλαύτων & κενοδόξων pruritum mirificè accendit , qui nihil intentatum relinquunt,quo nominis famam ſibi concilient. Et parum eſſet, ſi ſtudia duntaxat Philoſophica iſtos paterentur manes, ſed & ſacræ veritatis latus hic petitur, quæ,quia vanis humani cerebri figmentis refragatur , vel repudianda eſt , vel torquenda ; prius ſine Chriſtiani nominis jactura fieri nequit,eligendum ergo

poſte-

poſterius. Et hinc ſacram ſartoriam artem profitentium ingentem in forum Theologicum irrumpere videmus numerum, qui ſacræ veſti, ad antiquum ritum ex bono panno confectæ, novā & figmentis ſuis commodiorem inducunt formam. Hâc ſcil. in parte theologi, cætera ſaltem (ne quid pravius nunc dicam) philoſophi. Ex iſtis officinis prodeunt nova ſcripturas exponendi & rem theologicam tractandi principia, antiquioribus ad ſimplicitatem ſeculi ſui compoſitis, quibus tam auctos eſſe non licebat, incognita. Nimirum, ſi quid dixerint Herodotus, Heſiodus, poëtæ & fabulatores ethnici, ſi quid nugatores Iudæi, id dictum, propriè, & verè vel, ſaltem probabiliter, ſed, ſi S. Scriptura contradicat, loquitur illa figuratè, impropriè, hyperbolicè, ſtylo luxuriante. Si quid novi ex tabulis aſtronomicis & machinis Sphæricis, de rerum creatarum natura & corporibus cœleſtibus conjici poſſit, antiquioribus non perſpectum, id cum

applauſu (facit enim ad augendam famam) in vulgus protruditur, rei novitas conciliat gratiam, juventus, gloriæ cupida, in inventoris laudes & mirum acumen, ut & ipſa non parum inde profeciſſe videatur, plenis buccis effunditur. At ſi S. Scriptura non conſentiat, loquitur illa ſuo more, non prout res ſe habet, ſed tantum ſecundum rei apparentiam, quia ita videtur vulgo. Si quæ miracula Sacræ literæ deprædicant tanquam cœleſtia & univerſalia, convertenda illa ſunt in terreſtria & particularia, ne ſcil. pervertatur tabularum ordo, qui ſcilicet longè certior quam ut poßit fallere. Hanc in Scripturis graſſandi audaciam nuperrimè theologus quidam gravis & celebris Scripto Belgico redarguit, & Sacrarum paginarum autoritatem contra corruptores illos piè & doctè vindicavit. Idque non immeritò; hæc enim laxata fibula pedibus proculcat unicum religionis noſtræ principium, Spiritum S. ſubjicit

jicit ſpiritui humano, mentem in profanum & reprobum agit ſenſum, & in omnis generis fœdiſsimas hæreſes præcipitat. Experti hoc olim ſunt Gnoſtici, Saturniniani, Baſilidiani, & ſimiles nequiſsimi hæretici, qui Chriſtum non verè fuiſſe hominem, nec verè crucifixum & mortuum, aliaque doctrinæ monſtra ſpargebant, quod autem ſcriptura ejus rei dicit, id ſecundum apparentiam tantum & hominum opinionem, non ſecundum rei veritatem intelligendum eſſe. Sic Kimchius famoſus Rabbinus eludit locum Eſai. 53. Morbos, noſtros ipſe tulit, &c. *non ita, inquiens, ſenſiſſe prophetam, ſed verba Gentium duntaxat retuliſſe, quibus hoc ita videbatur. Sanè, ſi Spiritus S. juxta humanam loqui opinionem, etiamſi non homines ſed ſe ipſum loquentem introducat, dicendus ſit, nihil in tota ſcriptura erit, quod in hunc modum non poſsit eludi & perverti.*

Eandem nuper artem profeſſus quidam

anonymus, *ex Ethnicorũ monumentis exſculpſit nobis homines præadamitas, adigitque Moſen & Paulum Apoſtolum, ut idẽ ſibi, velint nolint, adſtipulentur; iſtamque Hypotheſin novo theologico Syſtemate, quo vulgata methodus antiquaretur, expolivit.* Contemni *quidem poterant hominis nugæ, ſed quia iſtos præadamitas à putrefactione immunes conſervare non potuit, quin Sociniano ſale eos condiret, Sacram Scripturam deſultorie traduceret, Moſis & Pauli mentem temerè perverteret, audaciæ frẽnum injiciendum eſſe neceſſarium duxi, ne ſilentio preſſa evadat inſolentior, & hæreſin, uti minatur, ſpargere pergat.* Præ*ſertim, quod iſtud hæreticum virus, novitatis dulcedine ſuaviter tinctum, imperitiorum mentibus (uti fieri ſolet) ſe inſinuare, eumque in ſinem in alias quoque transfundi linguas, rumor ſit.* Prolixè *& κατὰ πόδα refutent hominem, quibus illud per otium licet.* Ineptiis *& vaniſſimis conjectu-*

jecturis temerè ab ipſo confictis, quibus utrumque paginæ latus conſpergit, immorari delectetur qui volet, non ſanè ego. Si quæ autem alicujus momenti, ea excerpſi, & in Syllogiſticam formam redacta, refutavi obiter, nihil ad cauſam agendam à rhetorico ornatu, quo mendacio & hæreſi benevolentia conciliari ſolet, captans præſidii, ſed à ſolo Dei *verbo, quod fallere nequit, cujus integritatem ab impiis corruptelis ſartam tectam dare unicè conſtitui. Novi equidem, male feriatos eſſe homines, pacis & veritatis oſores, qui in vituperandis & impiè traducendis virorum piorum & de* Eccleſia I. C. *optimè meritorum ſcriptis aliquam gloriolam aucupantur. Quod fatum ſi & mihi ſervorum* Ieſu Chriſti *minimo veniat, rem omnem* Deo *commendo. Si verò quis ſit, qui me alicubi hallucinatum eſſe putaverit, cum eo, ſi vir bonus eſt, agam libentiſſimè, præſertim, ſi ex hebraicis græciſq; fontibus, S. Scri-*

pturæ

ptura genio mutuiſque reſpectibus, & Sanctiſsimæ noſtræ fidei analogia, de verâ & genuinâ Spiritus S. in ſcriptura loquentis mente, privato mecum ſcripto piè & candidè ſermones conferre voluerit, obſequentiſsimum me inveniet, & rationibus ſi quas habet, ſolidis, non ſophiſmatis, nedum maledictis expugnabor.

Tuo autem nomini, vir Ampliſſime, *laborem hunc dicatum volui, non ut benevoli tui erga me affectus & candidi pectoris, quod variis documentis compertum habeo, publicum aliquod redderem teſtimonium, hoc enim tua ab amicis modeſtia non exigit, ſed quod per te primum (cum præteritâ hieme in tranſitu* Hagæ *comitis tuo fruerer alloquio) hominis, cum quo ago, quemque coràm ad ſanam mentem reducere conatus es, nomen, inſtitutum & liber mihi innotuerit, ſed cujus exemplar tum nactus non ſum, neque etiam ſtudioſè quæſivi, quod novas nugas, quarum*

rum lectione delectari non ſoleo, meditari diceretur, donec paucis abhinc ſeptimanis Ornatiſsimi cujuſdam juvenis, mei Domeſtici, S. Theologiæ ſtudioſi, qui ejus compos factus, operâ, in manus meas incideret, illicòque animadvertens non meræ eſſe ληρήματα, *quæ hominem tranverſum agebant, ſed peſtilentiſsimam hujus ſeculi hæreſin in ſinu fovere, iſtam præadamiticam ei larvam detrahere in animum induxi, quod factum tibi*, vir Ampliſſime, *non bonarum duntaxat literarum & literatorum, ſed & puræ & Orthodoxæ veritatis amantiſsimo non fore ingratum perſuaſus ſum. Te ergo ejus patronum & Iudicem conſtituo, Deo ſupplex, ut te, virorum bonorum, quorum nomina corruptiſsimo hoc Seculo rara ſunt & pretioſa, decus, publico bono ſervet incolumem.*

Amicitiæ tuæ devinctiſſimus

A. HVLSIVS.

Scripſi Bredæ 27 April. 1656.

Diatriba in Caput v. ad Rom. verſ. 12. 13, 14.

12. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccarunt.*

13. *Nam uſque ad legem peccatum erat in Mundo, peccatum verò non imputatur non exiſtente lege.*

14. *Regnavit autem mors ab Adamo uſque ad Moſen, in eos etiam qui non peccarunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, qui eſt Typus futuri.*

Sco-

SCOPUS APOSTOLI eſt, collationem inſtituere inter

Adamum	Chriſtum
I	I
Adami peccatum-	Chriſti juſtitiam
I	I
Omnibus per corruptæ naturæ propagationem ad mortem imputatum.	fidelibus per fidem ad vitam æternam imputatam.

Paraphraſis Orthodoxa trium verſuum.

12. ET ne vobis mirum videatur, tantum fuiſſe unius hominis Chriſti, juſtitiæ & mortis efficaciam, ut per eam ſolam Deo reconciliemur, vi-

dete quanta fuerit peccati unius hominis Adami, in perdendo & corrumpendo genere humano, efficacia. *Propterea ſicut per unum* illum *hominem* Adamum *peccatum*, ab ipſo commiſſum contra legem Dei in Paradiſo latam, *introiit* quoad reatum *in mundum* ſeu univerſum genus humanum, *& per peccatum* illud ejusque reatum utraque tam corporis quam animæ, *mors*, ad condemnationem, *atque ita in omnes homines*, quotquot naturaliter ab Adamo nati ſunt, nemine excepto, *mors pervaſit*, ſcil. propter unum illud peccatum illius hominis, *in quo omnes* tanquam in ſtirpe *peccarunt*, dum illud omnibus imputatur ad naturæ corruptionem & mortis reatum. Quod duplex malum prout ille ſibi ſuo peccato acquiſivit, ſic per carnis propagationem in omnes ſuos poſteros transfudit. Eodem modo per unum

num hominem Deum Chriſtum, juſtitia, per abſolutam ad mortem uſque obedientiam, ab ipſo parata introiit quoad imputationem in mundum ſeu univerſum cœtum fidelium, & per juſtitiam illam ejuſque imputationem utriuſque tam corporis quam animæ ſpiritualis & æterna vita, atque ita in omnes homines, quotquot fide ipſum amplectuntur, nemine excepto, vita pervenit, ſcil. propter juſtitiam unius Chriſti, in quo tanquam in ſuo Capite omnes fideles juſtificantur, dum illa omnibus imputatur, non tantum ad vitam æternam, ſed & ad naturæ per Adamum corruptæ regenerationem; Quod duplex bonum ille nobis meruit, & in omnia Corporis ſui membra transfudit.

13. Quod ſi verò exiſtimetis, peccatum Adami, omnibus hominibus incumbens, non poſſe habere

locum

cum ſaltem ab Adamo uſque ad
Moſen, cum iſto tempore lex, quæ
poſtea demum per Moſen data fuit,
nondum exſtiterit, adeoque nec
peccatum, nedum peccati alieni
imputatio: dico, vos falli; nam ab
Adamo *uſque ad legem* per Moſen
datam *peccatum fuit in mundo*, eo
ſcil. modo, adeoque & quodvis a-
liud peccati genus exinde ortum:
*peccatum verò eſſe non putatur non
exiſtente lege*: Quod ſanè verum
eſt, ſi verum eſt, non fuiſſe legem,
at falſum eſt, nullam omninò fuiſſe
legem, quia fuit peccatum, uti col-
ligitis ex peccati pœna, ſiquidem
mors erat in mundo, quæ non fuiſ-
ſet, ſi non fuiſſet peccatum, nec
peccatum, ſi nulla lex.

14. *Regnavit autem mors* non tan-
tum poſt legem à Moſe latam, ſed
& *ab Adamo uſque ad Moſen*, non in
ſolos adultos, qui juxta exemplum
Adami peccatis actualibus ſe inqui-
narunt,

narunt, ſed *in eos etiam qui non peccarunt* actualiter *ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami*, parvulos nimirum, unde quam maxime agnoſcitis, tum temporis nõ tantum exſtitiſſe peccatum, ſed & (quod imprimis hic volumus) peccatum illud Adami imputatum fuiſſe omnibus ad mortem, utpote ex quo moriebantur etiam infantes, nondum actualiter peccatores, uti Adam, quanto magis adulti.

Nota. Hæc Eccleſiæ Catholicæ expoſitio eſt, & ſi quæ inter Interpretes variatio, ea in particulis duntaxat & circumſtantiis reperitur, at in re minimè. Ut cum alij illud ἐφ' ᾧ reddunt *in quo*, alii *propterea quod*. verbum ἐλλογεῖται aliis denotat ipſum Apoſtoli judicium de peccato non exiſtente lege, ut Cap. 4:15. aliis definitè judicium falſum eorum, qui vivebant inter Adamum & Moſen, exiſtimantium,

tium, ubi nulla eſt lex ſcripta, per quam homo agnoſcat peccatum ſuum, nullam peccati habendam eſſe rationem, ideoque in imperfecto reddunt, *reputabatur*, q.d. non reputabant eſſe peccatum, nullam ejus rationem habebant, quod non haberent legem ſcriptam, unde illud agnoſcerent. Alijs indefinitè, quod eodem recidit, judicium vulgi omni tempore falſò latum de peccato ſine ſcripta lege, qui retinēt præſens, quo utitur Apoſtolus, *reputatur*, i. e. non putant ſe peccare. Alii τῆς ἁμαρτίας & peccandi voces verſ. 12. ſumunt latius, non pro peccato duntaxat Adami ſed & corruptione inde ortâ, tanquam imputationis fundamento, quod Apoſtolus alibi iſtas voces ita uſurpare ſole, ſic Calvinus. Alii pro ſolo reatu peccati primi. Aliis item tam ἀπέθανον quam ἥμαρτον quærentibus in eodem verſu, aliis ſolam

πρό-

πρότασιν, at ἀπόδοσιν ex totâ Apoſtoli oratione & primario ſcopo (uti à nobis hic factum) ſupplentibus. Et hinc in connectendis periodis evidens aliqua naſcitur (abſque tamen ullo veritatis præjudicio) diverſitas, in quam impegiſſe videtur noſter anonymus, non animadvertens omnino nullam eſſe quoad rem: Omnibus ſiquidem unanimiter ſtatuentibus, Apoſtoli ſcopum fuiſſe, ut imputationem juſtitiæ Chriſti per oppoſitam imputationem peccati Adami illuſtraret, ſive originans illud peccatum tanquam imputationis principium & cauſam reſpiciat ſolum, ſive originatum veluti ejus ſeu ſubjectum, ſeu primum effectum, ſeu medium ad mortem, ſimul comprehendat. Iſtamque imputationem habuiſſe locum non tantum poſt legem à Moſe latam, ſed & ante eam, ſiquidem peccati ſtipendium Mors

in

in omnes etiam parvulos regnabat, etiamſi lex Moſis tum nondum exiſteret, ſive verè dicatur, ubi non eſt lex, ibi non eſſe aut imputari peccatum, cum lex tam Adamo, quam naturæ lata tum temporis fuerit, adeoque iſta exceptio hic locum non inveniat; ſive homines falſò exiſtiment aut exiſtimaverint, Moſis aut ſimili lege ſcripta, ex qua agnoſci poſſit peccatum, nondum exiſtente, peccatum nec eſſe nec fuiſſe, nec debere aut debuiſſe imputari, adeoque illud non reputent aut reputarint eſſe peccatum.

Hanc veritatem, & verum Pauli ſcopum, quovis tempore tam Veteres quam recentiores hæretici evertere ſtuduere, prout diverſis gradibus vel propugnant vel oppugnant liberum hominis arbitrium, peccatum Originale, peccati primi imputationem, Meritum Ieſu Chriſti,

ſti, alioſque fidei articulos eò ſpectantes. Aliter hic gloſſantur Pelagiani, & Judaizantes Sociniani. Aliter Semipelagiani & vulgares Papiſtæ. Aliter Ieſuitæ, *Catharinus*, *Pighius*, & *Salmero*. Aliter Novatores quidam inter Orthodoxos, qui omnes in verſum illum 12. ſua ſpicula contorquent, quem miſerè dilacerant & transfodunt. At hic noſter hypotheticus (cum quo ſolo nobis nunc res eſt) veritus fortè ne ad metam decurrente certamine quies concilietur Eccleſiæ, novo quodam & hactenus inaudito ineptiendi genere verſum 13. & 14. aggreditur, quorum ſenſum ita ab ipſo concipi ex diverſis exercitationis ejus capitibus colligimus.

Paraphraſis Anonymi.

PRopterea ſicut *per* temeratam legem Dei ab *uno homine peccatum in mundum introiit, & per peccatum*

tum

tum mors, & ita in omnes homines mors pervaſit in quo omnes peccarunt, nam *uſque ad legem* illam à Deo latam Adamo, antequam illa eſſet data & violata ab Adamo, peccatum erat in mundo legem Dei præcedens, & malæ actiones quas homines committebant, qui ante Adamum vivebant, ſed quæ peccati rationem non habebant, *nam peccatum eſſe non putatur non exiſtente lege*, adeoque etiam non imputabatur ad mortem, non enim moriebantur homines quod malè agerent, ſed ſicut ex natura ſua corrupta, & conditione materiæ, ex quà creati erant, malè agebant, ſic & moriebantur, quemadmodum (cap.14.) beſtiæ malè agunt & moriuntur, & tamen non peccant, quia nulla ipſis lata lex eſt. *Regnavit autem mors ab Adamo uſque ad Moſen*, & per totam legis Moſaicæ œconomiam uſque ad Chriſtum, quo tempore mors

verè regnaſſe dicitur; ſiquidem duplex jus & dominium in homines exercebat; primum, quod à tempore Adami non ex ſola conditione naturæ morerentur, ſicut ante ipſum, ſed quod peccatores eſſent & transgreſſores legum à Deo latarum, adeoque actiones ipſorum malæ ipſis ad mortem imputarentur, tanquam contra Dei ſtatuta commiſſæ. Secundum, quod Reatus Adami ipſis ad mortem incumberet, quem communem habebant cum iis, qui ante Adamum vixerant *& non peccaverant ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami*, ſed tantum ad ſimilitudinem transgreſſionis brutorum, cum non habuerint legem divinam, contra quam peccare potuerint, ſicut Adamus.

Hujus expoſitionis fundamento annectit & ſuperſtruit novum theologicum ſyſtema, cui ſimile

inter

inter poſt-adamitas nunquam viſum, quod in duo ſumma diſtribuere mihi videtur capita, ſcilicet creationem *primam*, & *ſecundam*: de creatione *primâ* docet 1. Deum in principio ſex dierum ſpatio creaſſe omnia eo ordine, quo Moſes recenſet cap. 1. Gen. 2. Homines, quos iſto capite primo creaſſe dicitur, non fuiſſe Adamum & Evam, ut vulgo putatur, ſed fuiſſe primos Parentes Gentilium, ſicut Adam fuit primus Pater Judæorum. 3. Creaſſe Deum homines in omnibus mundi regionibus, juſto numero, quemadmodum bruta, plantas & herbas, non in uno loco, ſed in omnibus orbis habitabilis partibus produxit. 4. Homines iſtos eſſe præadamitas innumeris ſeculis ante Adamum conditos, adeo ut, cum conderetur Adamus, terra hominum plena fuerit. 5. Moſis Scopum non fuiſſe ut ſcriberet hiſto-

riam Mundi, ſed Judæorum ſuæ Gentis, & ideo breviter duntaxat prælibaſſe Mundi primordia cap. 1. Gen. relictis in medio rebus omnibus, quæ inde uſque ad Adamum Patrem Judeorum geſta eſſent, cujus hiſtoriam pro inſtituto ſcribere occupat cap. ſecundo. 6. Noachi diluvio non univerſum orbem, ſed Judaicum duntaxat, & quæ fortaſſis Gentes proximè cum Judæis commercium habuiſſent, ſubmerſas eſſe. 7. Et idcirco non omnes Gentes à Noachi poſteris eſſe propagatas, licet fortaſſè aliqui eorum remotiores populos invaſerint, iiſque nomina ſua impoſuerint. 8. Homines primos ad imaginem Dei eſſe creatos, & valdè bonos in ſuo genere, ut aliæ creaturæ omnes, ſed in bonitate iſta, ob materiæ, ex qua coagulati erant, pravitatem ſtare neſcientes, paulatim materiâ in ſeipſam redeunte, in omne vitiorum

genus eſſe prolapſos. Idem feciſſe diabolos, indeque creaturas omnes alias, à malis illis ſpiritibus afflatas, à perfectione boni & recti creationis ſuæ degeneraſſe. 9. Peccata illorum hominum non fuiſſe propriè peccata; quia nullam à Deo legem acceperant, contra quam peccare poſſent; ſed malas actiones, quales ſunt brutorum, quando lædunt, ſed non peccant. 10. Mortuos etiam, non quod peccàſſent, ſed morte tantum naturali, ex neceſſitate materiæ corruptioni per ſe obnoxiæ.

De creatione *ſecunda* ſeu recreatione ita tradit. 1. Deum, quod videret univerſum genus humanum ita corruptum, novam adornaſſe creationem, ejuſque creationis triplex fundamentum conſtituiſſe, tres nimirum homines Judæos, Chriſtum-Deum, Adamum, & Abrahamum. 2. Eum in finem

nem in æternâ ſuâ electione elegiſſe Gentem Judaicam, ut ei ſe primò manifeſtaret, & in eâ adoptaret Gentiles, id eſt, tam præadamitas, quam præadamitarum poſteros, & quidem rejectis ad tempus Judæis, donec tandem & Judæi & Gentiles in unam Dei Eccleſiam coaleſcerent, idque totum mediantibus tribus illis inſtrumentis Judæis. 3. Primum novæ creationis inſtrumentum eſſe Chriſtum, primum ſcil. in decreto, licet ultimum in executione, per quem fieret redemptio, id eſt, moreretur pro omnibus. Noluiſſe ſiquidem Deum perdere genus humanum in corruptione ſuâ, ideo dediſſe Chriſtum, in cujus morte & pœnâ morerentur & punirentur omnes. 4. Sed quia homines nondum erant propriè peccatores, utpote, qui quidem corruptiſſimi erant & omnibus vitiis dedititiſſimi, nihil tamen

contra Deum peccaverant, quod Deus ſe hominibus nondum feciſſet notum, nec ullam ipſis dediſſet legem, contra quam peccare poſſent, debebant homines prius conſtitui peccatores, id eſt, debebat ineſſe eorum peccatis reatus & condemnatio, antequam videri poſſent indigere Chriſto redemptore, qui eos ab iſto reatu & condemnatione redimeret. Ideo Deum condidiſſe ſecundum inſtrumentum novæ illius creationis, nempe Adamum patrem Judæorum, cui legem ſuam daret, per cujus transgreſſionem omnes homines conſtituerentur peccatores. 5. Iſtum Adamum, licet alio modo, & ex electiori materiâ conditus eſſet, qua homines præcedentes, natura tamen fuiſſe mortalem, etiamſi non peccaſſet contra legē arboris vetitæ; & quia ex eadem materia corruptioni obnoxiâ creatus erat, etiam naturam ipſius

ipſius inſtar aliorum hominum in vitia pronam fuiſſe, idque eum demonſtraſſe ante lapſum ſuum. 6. Quia autem fides in Chriſtum debebat eſſe medium, quo homines fierent participes redemptionis per Chriſtum, ideo Deum addidiſſe tertium illud novæ creationis inſtrumentum, Judęum tertium, nempe Abrahamum, Patrem fidelium, in quo omnes medium illud fidei adipiſcerentur. 7. Fundamentum participationis eſſe ſolam imputationem, quâ hominibus imputatur peccatum Adami, mors Chriſti, fides Abrahami. 8. Fieri iſtam imputationem, non mediante naturali propagatione ex Adamo, ſed merè myſticam eſſe, in eaque participare non eos tantum, qui ſunt ab Adamo, ſed & eos, qui non ſunt ab Adamo; non eos tantum, qui nati ſunt poſt Adamum, ſed & eos, qui fuerunt ante Adamum. 9. Imputationem

peccati Adami nihil addidiſſe naturæ peccatrici, nec inflixiſſe hominibus mortem ſeu corporalem, ſeu æternam animæ, cum utraque ſequatur naturam; id eſt, ſicut ex materia corruptioni obnoxia ſequitur mors naturalis; ſic ex vitiis naturaliter inhærentibus ſequi omnia mala concomitantia, & animæ perditionem, ſed eſſe reatum & condemnationem ad utramque mortem, quæ per peccatum Adami in Dei Judicio decreta fuit in omnes homines. Adeo ut, quæ mors naturalis per ſe erat, ea per peccatum Adami extitit pænalis & regnans. 10. Ab iſta condemnatione & reatu Chriſtum liberaſſe omnes homines, qui morte ſua refixit condemnationem decretam in Adamum & omnes homines: & in iſto ſenſu nullum unquam mortalium eſſe mortuum, ſed ſolum Chriſtum; ſiquidem in illum ſolum decreti illius executio

ceci-

ceciderit,ut ejus vi moreretur,& ſic omnes ab eo liberaret.

Non eſt, benevole lector, quod prolixam tam inſanæ theologiæ refutationem à me exſpectes, in qua cum hominis ineptias lego de materia, de ſpiritu mundi, & ſpiritu ex Deo, de productitio & factitio, de creatione & recreatione rerum naturalium, de electione, quæ in rebus omnibus creatis eſt, de electione in Deo, & in Myſterio, de Myſticis illis & imaginariis imputationibus, & quæ ſimilis farinæ ſunt, videor mihi legere deliria Manichæi de duobus principiis, vel ſomnia alicujus gnoſtici, ex quorum cloacis procul dubio novum hoc theologiam tractandi genus eduxit; conſimiles enim fingit terminos; pariterque ſcripturæ teſtimoniis innumeris locis abutitur, & centies rem dicit eandem, variegatis loquendi formulis incruſtatam, ubi præter Rhe-

toricam, quæ Logices, methodi & ſoliditatis defectum ſupplet, nihil eſt quod laudes. Perpetuò πρώτῳ ſuo nititur ψεύδει. nim. *tempus fuiſſe quo lex non exſtiterit*, cui totam ſuæ chimæræ molem ſuperſtruere non veretur: mirum, tam futili fundamento; ſed quale eſt fundamentū, talis eſt ſtructura, qualis radix, talis arbor, quam ſi minimus rectæ rationis vermiculus arroſerit, inſtar ricini Ionæ, tota exareſcet. Solam ergo quæſtionem de *Præadamitis* paucis ventilandam aſſumimus: nam Socini hæreſin quod attinet, cui hic homo planè videtur addictus, eam à Doctiſſimis viris confutatam habemus, ita ut iſtam cramben hic recoquere non ſit neceſſe, præſertim, cum hic noſter non tam argumentis eam fulciat, quod ipſius Magiſtri doctius ipſo quantum fieri potuit, præſtiterunt, ſed crudè tantum proponat, imaginariæ imputationis lar-

vâ,

vâ, quam in Epilogo ipſi detrahemus, velatam.

Duplici modo hoc Argumentum nobis tractandum erit, *primò* in hypotheſi, vindicando locum Pauli à παρερμηνεία anonymi. *Secundò* in theſi, confutando rationes alias ex ſacris præſertim literis ad ejuſdem cauſæ patrocinium productas.

I. *De Præadamitis in Hypotheſi.*

IN expoſitione loci argumentis utitur partim κατασκευαστικοῖς, quibus ſuam fulcit, partim ἀνασκευαστικοῖς, quibus gravat Orthodoxam. Prioris generis quatuor ſunt. *Primum* ex verſ. 13. *Peccatum eſſe non putatur non exiſtente lege*, unde in hunc modum concludit: De eo mundi tempore loquitur, quo nondum exiſtebat lex, & peccatum ob non exiſtentem legem nondum imputabatur; atque nullum fuit tempus

poſt Adamum, quo lex non exſtiterit, adeoque peccatum non fuerit imputatum. Ergo de tempore loquitur, quod Adami tempora anteceſſit, quo quidem uſque ad legem Adamo latam peccatum in mundo fuerit, ſed non imputatum. Super hujus Argumenti probandâ minore quinque prioribus capitibus totus occupatur, ſed fruſtra tam accuratus eſt, cum aëre pugnat & ſine adverſario, cum in majori πρῶτον ψεῦδος lateat, quod ſi animadvertiſſet, pro ſua quam profitetur ingenuitate, ſomnium illud procul dubio menti excuſſiſſet. Falſiſſimum ergo eſt, Apoſtolum de tali loqui tempore, quo nulla exſtiterit lex & imputatio peccati, exſtitit enim utrumque, quamdiu Homines exſtitere in mundo, nec contrarium ex Apoſtoli verbis unquam poterit evinci, utpote qui non dicit, tale quondam fuiſſe tem-

pus,

pus, quo lex non exſtiterit, adeoque nec imputatio peccati: Cujus nullum in textu exſtat veſtigium; nam verbum ἐλλογεῖται, ſi ipſum Apoſtoli judicium notat, uti vult Anonymus, (neque abnuimus) ſaltem ſi in tempus aliquod præteritum, & quidem præadamicum, rem veram de iſto tempore dicturus, mentem defixiſſet Apoſtolus, in imperfecto locutus fuiſſet, idque vel imprimis, quod de tempore præterito jam in imperfecto loqui occupaſſet per verbum ἦν verſ. eod. 13. ſed verbum ἐλλογεῖται exprimit in præſenti, quod animadvertens Anonymus cap. 10. à præconceptâ tamen opinione nihil deterritus, ab Authentico Græco ad vulgatam corruptam confugit, quæ in imperfecto reddit *imputabatur*, unde textum græcum corruptionis arguere non veretur, quæ, inexcuſabilis hominis novaturien-

turientis audacia eſt, & magnum temeritatis argumentum; ubi ſimul inſignem in græcis prodit inſcitiam, ipſe nobis, tam frivolo nixus fundamento, textum græcum ſcil. correcturus, quaſi verò ad imperfecti conſtitutionem nihil amplius requiratur, quam ut in ἐλλογεῖται, diphtongus αι convertatur in ο, nec augmenti, quod imperfecti ἐνελογεῖτο formam exhibet, ulla habenda ſit ratio. Hoc ergo præſidio excuſſus, nihil hic ſupereſt, quam ut forte dicat; Enuntiationem indefinitam, *peccatum non imputatur, non exiſtente lege*, veram eſſe de tempore præadamico, ac ſi in imperfecto locutus fuiſſet, cum nullum tempus poſt Adamum fuerit, de quo vera eſſe poſſit. Sed hoc eſt, non percipere mentem apoſtoli, cujus enuntiatio non eſt definitiva, quaſi tempus fuerit, quo nec lex nec peccati imputatio exſtiterit;

ſed

ſed vim habet propoſitionis hypotheticæ, q. d. ſi non eſt lex, non imputatur peccatum, nimirum ex hypotheſi tacitæ objectionis, q. d. ſi hoc verum eſt, quod objicere poſſitis; ab Adamo uſque ad legem Moſis nullam fuiſſe legem, adeoque non debuiſſe tum imputari peccatum Adami; largior ultrò quod dicit; nam conſtanter verum eſt, ubi nulla lex, & nulla debet eſſe peccati imputatio; at falſum eſt; nullam ab Adamo uſque ad Moſen fuiſſe legem: ſi enim non fuit lex ſcripta, fuit tamen, nimir. Adami, & naturæ, adeoque & imputatio. Hæc vera mens Pauli eſt, ſi verbum imputandi locum habeat, uti evidentiſſime liquet ex loco parallelo Rom. 4. 15. ubi enim non eſt lex, ibi nec tranſgreſſio; quibus verbis non voluit indicare, tempus fuiſſe aliquando, quo lex non eſſet, ſed quod veriſſimum ſit axioma, ſi

nulla

nulla eſtlex, nulla eſt tranſgreſſio; at eſt lex, uti particula γὰρ ibi infert, utpote quæ præcedentis effecti cauſam dicit, *lex iram efficit, ubi enim non eſt lex ibi non eſt transgreſsio*. Vox *enim* oſtendit allatam probationem affirmativè concipiendam eſſe; ubi enim eſt lex, ibi tranſgreſſio, adeoque ira ex tranſgreſſione: & ſic ſenſus eſt planus, quem ex neceſſario cauſarum & effectorum nexu ipſa Apoſtoli verba exhibent. Atque ita nihil in hoc Argumento præſidij reperiunt præadamitæ, nedum, ſi vox græca falſam vulgi opinionem notet, juxta mentem aliorum, inter quos interpres Syrus;

לא חשיבא הות חטיתא

non reputabatur eſſe peccatum: ubi quidem imperfecti temporis eſt, ſed nihil juvat cauſam Anonymi, cum ſenſus ſit longe diverſus, utpote talis: Etiam uſque ad legem Moſis

ſis ſcriptam fuit peccatum in mundo, quamvis homines peccati rationem non haberent, ſibique imaginarentur ſe non peccare, quod legem Moſis ante oculos nondum haberent, ex quâ peccatum agnoſcerent; ſic enim Apoſtolus conſuevit per legem abſolutè intelligere legem ſcriptam Moſis, prout Rom.7. dicit cognitionem peccati eſſe per legem, eoſque, qui peccatum lege adhibitâ non agnoſcunt, itemque peccatum ſine lege eſſe mortuum. Sed hanc expoſitionem, quamvis longius à mente Anonymi recedat, minus probo; idque cum ob rationes à Doctiſſimo Beza allatas; tum quod aliud ſit *eſſe ſine lege*, aliud, *non eſſe legem*: nam Rom. 7. eſſe ſine lege, nihil aliud eſt, quam non agnoſcere peccatum per legem, etiamſi lex revera exiſtat: at hic locus loquitur de non exiſtentia legis, uti & Rom.4: 15. ubi ſen-

ſus

ſus ille, de non cognitione peccati per legem, locum habere nequit: nam lex efficit iram, etiamſi homo eam non adhibeat ad cognoſcendum peccatum; at efficere nequit iram, ſi non ſit, uti teſtatur Apoſtolus. Præſtat ergo, retinere ſenſum præcedentem; ut ſit ipſo Apoſtolo Judice veriſſimum axioma, ubi non eſt lex, ibi nulla nec imputatio nec reputatio (ut ita loquar) peccati, non enim debet æſtimari, peccatum habere locum, ubi lex locum non habet. At habet locum, & ſemper, quamdiu Mundus ſtetit, habuit.

Fruſtra in ejuſdem argumenti ſubſidium vocat locum Rom. 3: 25. quaſi ibi per peccata *antecedentia*, quæ Deus præterierit, intelligantur peccata commiſſa ante legem datam Adamo; eoſque malè interpretari ait, qui ibi intelligant peccata antecedentia legẽ Moſis. *Reſp.* Vehementer hallucinatur: per pec-

cata enim antecedentia non intelligit Apoſtolus peccata legem præcedentia, ſed adventum Chriſti præcedentia; neque intelligit peccata gentium (nedum Præadamitarum) ſed Judæorum: toto enim hoc capite verſatur in deprimendâ Judæorum prærogativa, quâ per legem juſtificari ſe contendebant; refutat eos Apoſtolus, quia omnes erant peccatores, & gentibus in peccando ſimiles; quod autem Deus peccata eorum toleraverit, uſq; dum apparuiſſet Chriſtus, quem poſuit placamentum per fidem, non tantum peccatorum, quæ poſt ipſius adventum committuntur, ſed & antecedentium. Ejuſdem commatis eſt, quod Apoſtolum fingit introducere non ſeipſum, ſed hominem loquentem ante legem Adamo latam, Rom. 7: 9. *Ego vivus eram abſque lege quondam:* quæ maxima temeritas eſt; diſtinxi jam inter

non eſſe legem & *eſſe ſine lege*. Priori ſenſu conceſſimus, ſi nulla ſit lex, nullum eſſe peccatum; at antecedens diximus eſſe falſum, ſemper enim fuit lex, ſive ſcripta, ſive non ſcripta: alias injuſtum eſſet, quod dicit idem Apoſtolus Rom. 2: 12. *qui ſine lege peccant, ſine lege pereunt*, quibus enim nulla lex data fuit, puniuntur injuſtè, quia neſciunt quid ſit peccatum, cum omne peccatum ſit ἀνομία, adeoque præſupponat legem: de lege ſcripta ergo intelligendum hoc eſt; præter quam, legem habebant Gentes naturæ impreſſam, contra quam peccantes, juſtam incurrebant pœnam. At in poſteriori ſenſu loquitur hic Apoſtolus, ubi eſſe ſine lege nihil aliud eſt, quam non agnoſcere peccata per rectam legis intelligentiam & applicationem, uti ex omnibus circumſtantiis colligitur, dicitque *ſe delectari lege Dei* verſ. 22. quod præ-

præadamita dicere non potuit, quia legem, juxta Anonymi hypotheſin, non habuit. Concludimus ergo, nullam fingi poſſe gentem, quæ fuerit ſine lege; ſi de exiſtentia legis ſermo ſit; multos autem tam ex Judæis quamGentibus fuiſſe ſine lege, juxta phraſin Scripturæ, quod lege, ſive in natura ſive in ſcripto ſibi latâ, non rectè uterentur. Atque ita, quocunque modo ſumatur, excluduntur Præadamitæ.

Secundum Argumentum petit ex verſ. 14. *qui non peccarunt, &c.* loquitur Apoſtolus de iis hominibus, qui non peccarunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami; at poſt Adamum nemo fuit qui non peccavit ad ejus ſimilitudinem; Ergo ante ipſum vixerunt, qui non peccarunt ad ipſius ſimilitudinem. Minorem, quæ apertè falſa eſt, duplici modo probat. *Primò* (cap. 15.) Si peccare ad ſimilitudinem Adami nihil aliud ſit,

ſit, quam peccare contra datam legem, ſequitur neminem fuiſſe poſt Adamum, qui non peccaverit ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami. At peccare ad ſimilitudinem Adami, nihil aliud eſt, quam peccare contra datam legem. Ergo nemo poſt Adamum fuit, qui non peccaverit ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami. Conſequentia Majoris videtur manifeſta; nam poſt Adamum ſemper extitit lex, omnes igitur, qui poſt eum peccarunt, peccatores reperti ſunt contra legem, ad ſimilitudinem Adami, qui peccavit contra legem; adeoque illi, qui non peccarunt ad ſimilitudinem Adami, peccarunt ſine lege, quia peccarunt nondum datâ lege ante tempora Adami. Minorem probat ex Hoſ. 6: 7. Ubi dicuntur Judæi transgredi fœdus Dei, quod ſcil. per Moſen cum ipſis pepigerat, *ſicut Adam*, quod idem eſt,

ac ſi dixiſſet, ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami. *Reſp.* Dupliciter, fatente Anonymo, peccatur, poſt Adamum, contra legem datam, *actualiter*, & *imputativè*: *actualiter*, qui actu legem datam infringit, ut Adulti: *imputativè*, qui in Adamo legem primam Adamo datam infregerunt, ut omnes ejus poſteri. Si prius intelligat, vera eſt minor, ſcil. peccare ad ſimilitudinem peccati Adami nihil aliud eſſe, quam peccare actualiter contra legem, ſicut Adam peccavit actualiter contra legem ſibi datam. ſic enim dantur adhuc alii, qui non peccarunt ad ſimilitudinem Adami, id eſt, actualiter; de quibus hic Apoſtolus. Ita autem intelligere videtur; ſiquidem imprudenter nobis objicit locum Hoſeæ, quo cauſam ſuam jugulat, & noſtram juvat: nam certum eſt, Judæos peccaſſe ad ſimilitudinem Adami, quia contra legem datam

pecca-

peccarunt actualiter, uti Adam. Et quid quæſo amplius inde conficiet, quam id, quod nos volumus, nimir. eos, qui peccant ad ſimilitudinem Adami, peccare actualiter contra legem; & per conſequens eos, qui non peccant ad ſimilitudinem Adami, non peccare actualiter contra legem. Conſequentia ergo Majoris eſt falſiſſima; nimir, ſi peccare ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, nihil aliud ſit, quam actualiter peccare contra legem, ſequitur neminem fuiſſe poſt Adamum, qui non peccavit ad ſimilitudinem Adami; falſum inquam hoc eſt: nam multi poſt Adamum fuerunt, qui non peccarunt actualiter, adeoque nec ad ſimilitudinem Adami. Probatio conſequentiæ miſere ludit in phraſi *peccare contra legem* & *exiſtente lege*; quaſi ſequatur, quia peccavit Adam contra legem, ergo qui non peccarunt ſicut Adam, pecca-

peccarunt ſine lege vel nondum exiſtente lege; quod eſt pueriliter ineptire;idem enim eſt ac ſi dicam; Hacan (Joſuæ 7.) contra legem Anathematis peccavit; Ergo, qui non peccaverant ad ſimilitudinem transgreſſionis Hacanis (Iſraelitæ ſcil. ejuſdem peccati rei, verſ.12.) peccaverant antequam lex Anathematis eſſet condita. quis unquã futilius? Eſt ergo fallacia à dicto ſecundum quid; dantur enim alii peccandi modi, (ut in hoc exemplo liquet) quibus quis dici poteſt peccare, non ad ſimilitudinem alterius; etiamſi non peccaverit ſine lege, vel ante legem. Aliud eſt, eſſe in peccando diſſimilem Adamo, ratione *objecti* nimirum Legis; aliud ratione *modi*: non dicit Apoſtolus, aliquos Adamo diſſimiles reſpectu legis, quod vel contra diverſam vel nullam legem peccaverint; ſed ratione modi, quod contra eandem

legem

legem non eodem modo peccaverint, nim. actualiter. *Alterum*, quo utitur, medium tale eſt (cap.16.) omnes, qui poſt Adamum peccarunt, peccarunt vel actualiter, ſicut Adam, vel peccarunt ad ſimilitudinem Adami. At nemo peccavit actualiter ſicut Adam: Ergo omnes peccarunt ad ſimilitudinem Adami. Minor inde conſtat; quod actualiter peccare ſicut Adam, nihil aliud ſit, quam committere idem peccatum quod commiſit Adam, hoc autem fieri non poteſt; quia nemo præter Adamum & Evam comederunt de arbore vetitâ. *Reſp.* ad majorem; Miſerum hoc ſophiſma ludit *Elencho oppoſitorum.* Peccare actualiter ſicut Adam, & peccare ad ſimilitudinem Adami, non ſunt opponenda, ſed conjungenda, prius enim explicatur per poſterius. Nam peccare actualiter ſicut Adam, nec eſt idem numero peccatum comitterre,

tere, nec eſt peccare in eodem ſubjecto nempe arbore vetitâ; ſed eſt rebellare contra Dei mandatum ſicut Adam, & qui hoc agunt, peccant ad ſimilitudinem peccati Adami. Sic cum dicitur 2 Reg. 18. Quod Hiskias fecerit quod rectum erat in oculis Domini, ſicut David Pater ipſius; non ita ſumendum, quaſi idem numero aut ſpecie bonum fecerit quod David, fregit enim Serpentem æneum, quod non fecerat David; ſed in genere notat Dei Timorem & cultum ipſi fuiſſe cordi quemadmodum Patri ipſius Davidi.

Tertium Argumentum ſumit à voce *peccaverant*; ſic enim reddi vult participium ἁμαρτήσαντες, quod eſt ἀόριστον, notans tempus aliquod præcedens tempus Adami. *Reſp.* 1. Sibi ipſi contradicit; vult enim, hoc participio notari tempus ætatem Adami præcedens; affertque

pro ratione, quod ſit ἀόριστον ſeu indeterminatum: At quomodo erit tempus indeterminatum ſeu indefinitum, ſiquidem ipſe illud definit, eſſe tempus præcedens ætatem Adami? Latinum *peccaverant* aliquid momenti forte afferre poſſit ad notandum tempus definitum longè antecedens, quia plusquamperfectum eſt: At particip. illud græcum prorſus nihil. 2. Colligitur ergo inde, illud ἀόριστον (ſi de natura vocis ſit quæſtio) non eſſe propriè exponendum per *peccaverant*, ſed potius per præteritum *peccaverunt*; aliud enim quo ἀόριστον exprimant Latini non habent, præſertim cum ita reddatur præcedens ἐβασίλευσε *regnavit*, quod ejuſdem temporis eſt. 3. Etſi illud ἀόριστον ad tempus aliquod definitum ſit reducendum, id nec in voce, nec in hominis cerebro, ubi nihil fundamenti reperit, quærendum, ſed in ipſa textus

textus circumſtantia, quæ hic evidentiſſima eſt; notat enim hoc ἀόριστον tale quoddam indefinitum tempus, quod interceſſit inter Adamum & Moſen. Sit ergo indefinitum, ſed ita, ut extra illud ſpatium inter Adamum & Moſen ſe non extendat. Aliàs oppugnabitur mens Apoſtoli, qui non indefinitè dicit regnaſſe mortẽ in eos qui non peccaverant, ſed regnaſſe ab Adamo ad Moſen in eos, &c. 4. Si hâc expreſsâ mente Apoſtoli præterita, Anonymus reddi nihilominus velit ἀόριστον per plusquamperf. *peccaverant*, ad denotandum tempus Adami ætatẽ præcedens, reddatur ergo eodem jure ἐβασίλευσε per pluſquamperf. *regnaverat*, ſignificetque eodem jure idem illud imaginarium tempus ante Adamum; annon jam ſenſui vis infertur manifeſta? quam ne quidẽ ipſe Anonymus toleraret; utpote qui cum Apoſtolo initium Regni
 mor-

mortis conſtituit in Adamo. 5. Sed jam demus, participium illud vertendum eſſe per *peccaverant*, ſic enim vertit Doct. *Beza*; non quia ignoravit, tale aliquando opinionis Monſtrum orbi inferendum eſſe, quo ex nudo tempore grammatico fingerentur homines ante Adamum; ſed quia τὸ ἁόριστον ita redditum, vero & genuino ſenſui nihil derogat, imo lumen adfert: indicat enim actuale mortis imperium in quodvis individuum poſt peccatum; q. d. Regnavit mors ab Adamo in quemvis hominem, quare? quia peccaverant, & peccatores reperti erant: antequam enim mors in eos actu regnare poſſet, debebant actu eſſe peccatores, ſive actualiter peccaſſent, ſive imputativè ſive utroque modo: regnavit ergo in eos; quia cum actu regnaret, jam modo peccaverant, & pro peccatoribus agnoſcebantur, & actu tales e-

rant,

rant, non ante Adamum, quod abſurdum, qui tum nondum in rerum naturâ erant, ſed poſt eum.

Quartum, ab ipſo *regnandi* verbo, quod diſtinguere eum docet inter mortem naturalem & mortem regnantem; fundamentum diſtinctionis ſumit à verbis, *uſque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum verò non imputabatur non exiſtente lege*; ex quibus novas cudit diſtinctiones inter peccatum imputatum & non imputatum, peccatum vivens & mortuum, peccatum materiale & formale. Atque inde tale conficit argumentum. Si mors ab Adamo cœpit regnare in homines ob exiſtentẽ legem; ſequitur tempus præceſſiſſe quo non regnaverit ob non exiſtentem legem: Atque prius verum, &c. *Reſp.* 1. Falſa eſt major, quę nititur παρερμηνείας verſ. 13. hypotheſi de exiſtentia & non exiſtentia Legis; quam argumento

 pri-

primo confutavimus. 2. Miſerè contradicit ſibi ipſi Anonymus, dum regnum mortis cum Apoſtolo inchoat ab Adamo, cap. 12. & tamen ſtatuit, eam regnaſſe etiam in eos, qui non peccarunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, id eſt, qui vixerunt ante Adamum; cœpit ergo mors regnare ἀπὸ ἀδὰμ ab Adamo; & tamen regnavit ante Adamum: quis nobis iſta reconciliabit ἀσύστατα? cum Matthæus dicit, 14 fuiſſe progenies ἀπὸ Ἀβραὰμ ab Abrahamo uſq; ad Davidem; voluitne ſignificare, iſtas progenies etiam fuiſſe ante Abrahamum? vel cum Iacobus Rex Scotiæ dicitur regnaſſe ab Eliſabetha uſque ad Carolum etiam in Anglos; an ſenſus erit, ipſum Anglis imperaſſe etiam ante tempora Eliſabethæ? Nec eſt quod regerat, regnaſſe mortē poſt Adamum ex imputatione peccatorum propriorum contra legem; ante Ada-

da-

damum autem regnaſſe tantum ex imputatione peccati, non proprii ſed Adami retrò imputati; fruſtra inquam hoc foret: Nam *primò*, quocunque modo regnaverit, perinde eſt, modò regnaverit; ſic enim cadit argumentum, quod petit â principio regni poſito in Adamo, ad non regnum ante Adamum. *Secundò*, denuò ſibi ipſi contradiceret; nam apertè diſtinguit inter mortem naturalem & regnantem; hanc poſt-Adamicam, illam præ-Adamicam quam vocat *non regnantem* cap. 18. *Tertiò*, imò ineptum foret ex iſtâ diſtinctione fingere diverſa mortis regna; ſi enim regnet ex imputatione peccati Adami, ejus regnum eſt abſolutum & omnibus æque noxium, ſive accedat reatus peccati proprii, ſive non accedat, hoc nihil ad rem facit, eadem enim regnat efficaciâ. Lepra quæ poſteris Gehaſi (2 Reg. 5.) inhærebat, eandem

in membra ipſorum poteſtatem exercebat, & eadem ſpecie lepra erat, quæ in ipſo Gehaſi, etiamſi dicatur in filiorum membris regnaſſe ex imputatione Patris Gehaſi, in Gehaſi verò ex imputatione peccati proprii; & ſi vi imputationis iſtius peccati Gehaſi etiam in membris anteceſſorum Gehaſi regnaſſet, idem in eos habuiſſet regnum, idem dominium, quod in poſteros ejus. Idem de mortis imperio judicium. Liquet hoc clarius ex ipſa Anonymi hypotheſi; vult enim, peccatum Adami imputari retrò, quò Juſtitia Chriſti retro imputata fuit fidelibus in V. T. An ergò diverſa nobis Juſtitiæ Chriſti regna finget, aliterque eam vi imputationis dicet regnaſſe in Abrahamo ad vitam æternam, aliter in Chriſtianis? An juſtitiam Chriſti imputatam Chriſtianis appellabit juſtitiam regnàntem; imputatam Abrahamo

hamo, non regnantem? non autumo. Si ergo vis imputationis utrinque ſit eadem & æqualis, ſit & regnum mortis ex imputatione ortum utrinque æquale: & hoc eſt, quod vult Apoſtolus, dum ait, regnaſſe mortem ab Adamo uſque ad Moſem, etiam in eos, qui non peccarunt ſicut Adam; nempe quod eodem modo regnaverit in eos, qui non peccarunt ſicut Adam, quo regnavit ab Adamo ad Moſen; atque ab Adamo ad Moſen regnavit abſolutè, fatente anonymo: Ergo & abſolutè in eos qui non peccarunt ſicut Adam, ſive illi ſint præadamitæ ſive poſtadamitæ; quod jam non quæritur. Atque ita manifeſtè conſtat, Anonymum ſua diſtinctione ſibi ipſi contradicere, & ex adjecto evertere quod ſtatuerat. 3. Conſtat ex ipſis Apoſtoli verbis, ſe de morte non regnante ante Adamum ne ſomniaſſe quidem, dum
 ait,

ait, regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſen, incipit ab Adamo & ſubſiſtit in Moſe. Quid autem ita, ſi ſcopus (juxta Anonymum) fuit diſtinguere tempora mortis regnantis, à temporibus mortis non regnantis? illa nimir. fuiſſe ante Adamum, hæc poſt Adamum: An ergo Regnum mortis duravit tantum uſque ad Moſen? Huic nodo cuneum invenit Anonymus, diſtinguendo Moſis perſonam ab ipſius lege (cap.11.) item legis promulgationem ab ejus œconomia, item initium œconomiæ iſtius ab ejus fine. Quaſi dicat Apoſtolus, regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſen, id eſt, uſque ad legem à Moſe datam, & quidem per totum tempus œconomiæ legalis uſq; ad ejus finem, ſive uſque ad Chriſtum. Sed fruſtra eſt hoc effugium; nam, *primò*, Moſen aliquando ſumi pro lege per ipſum latâ, ultrò damus, nec opus

pus erat ut hoc nobis exemplis illuſtraret; imò damus etiam in hoc loco ita ſumi poſſe: Mortem ſcil: regnaſſe uſque ad legem Moſis. Sed probandum erat, legem Moſis in hâc phraſi comprehendere totum tempus œconomiæ legis uſque ad Chriſtum; quod contrarium eſt phraſi Apoſtoli, contrarium ejus menti, contrarium phraſi, quæ duo ponendo extrema, ſolet excludere quicquid iſta extrema excedit, alias dilataret limites, ut cum dico; Regnavit Eliſabetha Angliæ Regina à Maria uſq; ad Iacobum, illud duntaxat comprehende ſpatium, quod interceſſit inter Mariam & Iacobum, non verò illud, quod ſequebatur; alias enim non eſſent ponendi limites in Iacobo, ſed extendendi ulterius. Nec valet exceptio, Moſen ſumi aliquando pro lege, ergo & totum tempus legis ibi poſſe comprehendi; nã & Chriſtus quan-

doque ſumitur pro Evangelio & fœdere gratiæ, indene, ſequitur phraſin Matthæi 1: 17. *à transportatione Babylonica uſq; ad Chriſtum progenies quatuordecim*, in totum fœderis gratiæ ſpatium debere extendi? Contrarium menti Apoſtoli, quæ non erat, quicquam hic definire de tempore, quod interceſſit inter Moſen & Chriſtum; ſed de tempore, quod interceſſit inter Adamum & Moſen. Nec eſt quod excipiat Anonymus, mortē non regnaſſe tantum uſque ad Moſen ſed & ulterius; hoc enim verum eſt; ſed quod hic affirmare non intendebat Apoſtolus, ſiquidem mortem à Moſe ad Chriſtum regnaſſe nemo ambigebat, quia lex tum erat: ſed quæſtio tantum erat de regno mortis inter Adamum & Moſen; quod in dubium vocari poterat, cum nondum exiſtente lege Moſis videretur nonnullis non debuiſſe haberi ratio-

tionem peccati, adeoque nec regni mortis. Et hæc cauſa eſt, quare Apoſtolus intra limites iſtius ſpatii ſe continuerit; ex quo evidentiſſimè liquet, ſcopum minimè fuiſſe, diverſas oſtendere mortis non regnantis & regnantis œconomias, aliàs enim regnantis fines nimis conſtituiſſet anguſtos. *Secundò*, ſed ſi largiamur homini, ab Adamo uſque ad Moſen hic idem eſſe quod ab Adamo uſque ad Chriſtum, quod tamen falſiſſimum, aqua nihilominus ipſi hærebit; cum enim dicat Apoſtolus, mortem regnare *in omnes homines*, ne vel illi quidem, qui poſt Chriſtum vixerunt, excipiendi erunt: & ratio eſt evidens, regnat enim mors per peccatum; prout ergo omnibus hominibus per naturam incumbit reatus peccati ad condemnationem; ſic & omni tempore regnat mors ab Adamo uſq; ad finem mundi. Nec eſt quod regerat, Chriſtum eſſe

Auto-

Autorem fœderis gratiæ, in quo mors non regnat: diſtinguenda enim eſt œconomia iſtius fæderis; quæ nihil aliud eſt quam publica Evangelii prædicatio; ab ejus applicatione: œconomia durat à Chriſto uſque ad finem mundi, & toto eo tempore non ceſſat regnum peccati; ſed ſicut Juſtitia Chriſti regnabat ante Chriſtum; ſic viciſſim mors regnat poſt Chriſtum. Applicatio autem iſtius fœderis fit per fidem ſingulis fidelium individuis, & in iis ſolis ceſſat regnum mortis: at hoc modo non tantum ceſſavit poſt Chriſtum, ſed & ante Chriſtum in iis omnibus, quibus Chriſti Juſtitia per fidem fuit applicata; alias ſanè, ſi regnum mortis abſolutè ceſſaret per adventum Chriſti, nullum amplius in reprobos poſt Chriſtum natos haberet dominium; nec fideles, exemptionem ſuam ab iſto dominio deberent applicationi gratię,

ſed

ſed tempori, in quo nati eſſent; uti ficti illi præadamitæ, tempori debebant, quod mors in eos non regnaret, quia ſcil. nondum exiſtebat lex. Imò ſcopus Apoſtoli toto hoc capite non fuit, diſtinguere œconomiam legis ab œconomiâ Evangelii, & utriuſque tempora à ſe invicem; ſed exponere duntaxat juſtificationis in Chriſto myſterium, illudque illuſtrare ex oppoſito Adami peccato, ejuſque imputatione; quæ oppoſitio ab Adamo ad finem uſque mundi locum habet. 4. Sed ſi Hypotheſin Anonymi rectè conſideremus, iſtud regnum mortis nihil aliud erit quam merum ludibrium. Si mors regnavit in eos, qui non peccarunt ſicut Adam, id eſt, in præadamitas, vel regnavit per peccatum iſtis hominibus propriũ, vel per peccatũ Adami ipſis imputatum. Per proprium, non admittit Anonymus; inchoat enim regnum

pec-

peccati proprii ab Adamo, cum lex cœpit eſſe, quæ antea non erat. Ergo per peccatum Adami. At quomodo hoc ſubſiſtet cum eo quod dicit cap. 3. lib. 5. Syſt. *Momento illo, quo Adamus peccavit, Chriſtum ſuffectum eſſe in locum Adami.* & Paulo ante, *neque enim revera mortuus eſt Adamus, neque ullus unquam mortalium.* Si ergo Chriſtus eodem momento ſuſtulit reatum peccati Adami, quo Adamus peccavit, adeoque & regnum mortis ex Adami peccato, ita ut nemo unquam mortuus ſit propter peccatum Adami; dicat ergo nobis modum & tempus regni mortis in Anteceſſores Adami: nam ſi regnavit in illos, oportuit aliquo modo ab iſto regno affectos fuiſſe; qui quidem modus in poſteris Adami oſtenditur ex eo, quod per peccatum proprium contra legem commiſſum regnavit: ſed in præadamitis locum non habet.

bet. Nimium ergo figmento ſuo indulſiſſe videmus Anonymum, dum præter ſcripturam triplex illud mortis, non regnantis ante Adamum, regnantis ad Chriſtum, & iterum non regnantis poſt Chriſtum, in cerebro ſuo excogitavit intervallum.

Hactenus Argumenta ejus κατασκευαστικὰ ſequuntur ἀνασκευαστικά: quibus expoſitioni Orthodoxæ incommodare conatur. Hujus generis duo ſunt, petita ab incommodâ expoſitione verborum *uſque ad legem*, & *qui non peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami*. Ad verba, *uſque ad legem*, ait Cap. 8. Orthodoxos *undique angi; vel enim lex illa intelligenda erat de lege data Moſi, vel de lege data Adamo: ſi prius aſſerendum erat, peccatum fuiſſe in mundo ante Moſen & uſque ad Moſen, non autem fuiſſe per illud tempus imputatum. Inter utrumque incommodum poſiti quo*

ſe verterent neſcii, poſt habuerunt ſecundum incommodum primo, ſibique rejectis præadamitis alios acciverunt, qui non peccaſſent imputativè ab Adamo uſque ad Moſen. Et ſic cap. 1. ſtatim in initio ait, *Vulgati Interpretes ſtatuunt, peccatum cœpiſſe imputari à Moſe, non autem ab Adamo.* Sic ergo argumentatur: Quæ expoſitio non imputationem infert peccati ab Adamo uſque ad Moſen, ea non eſt admittenda; atque expoſitio vulgatorum Interpretum eam infert. Majorem probat Cap. 4 & 5. *Reſp.* Candorem hic hominis vehementer deſidero, quod in ipſo limine impingere, ſuumque deinde figmentum ita proponere non erubuerit, quaſi Interpretes de eo quidem hæſitabundi cogitaverint, ſed amplecti auſi non ſint. perſpicax hæc eſt audacia, quæ de Interpretum mente, quam ne verbulo quidem expreſſerunt, judicat:

quis enim, inquam, ante hunc noſtrum vel per ſomnium cogitavit de præadamitis? & unde ipſi conſtat iſta Interpretum anxietas? Quis probatus Theologus unquã ſcripſit aut dixit, ſcelera ab hominibus inter Adamum & Moſen commiſſa, ipſis imputata non fuiſſe? Quare nullum ex illis Interpretibus & quidem *vulgatis*, ut ait, in medium producit? hoccine eſt agere ſincere & ingenue, uti Cap. 8. agere profitetur? Probat ergo hic iterum, quod probatione non indigebat: nam majorem nemo in dubium vocat; ſed in minore vertitur cardo quæſtionis, quæ falſâ illa nititur hypotheſi, tempus aliquod fuiſſe, quo nulla lex à Deo homini lata extiterit, adeoque nec imputatio peccatì quod ipſe fingit fuiſſe ante Adamum, Orthodoxis affingit fuiſſe inter Adamum & Moſen. Sed confutavimus eam, ad argu-

argumentum ejus primum κατασκευαστικὸν, quo lectorem remittimus.

Secundum hujus generis Argumentum eſt à verbis, *qui non peccarunt*, etc. per quos rectè aſſerit Interpretes intelligere infantes, qui non peccarunt actualiter ſicuti Adam. contra quam expoſitionem ſic argumentatur Cap. 6. & 7. Qui peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, illi dicendi non ſunt non peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami: Atqui infantes peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. E. &c. *Minorem* ſic probat, in quibus eſt ſimilitudo ſpiritalis & naturalis, eaque tam imaginis quã proportionis peccati Adami, illi peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. Atque in infantibus iſta ſimilitudo eſt. E. &c. *Probat Minorem*, 1. de ſpiritali, (quam lega-

legalem potius dixerim) quæ imputatio eſt, qua ſpiritu & mente concipitur idem quis peccaſſe quod alius peccavit; imputatur enim peccatum Adami infantibus, perinde ac ſi ipſi illud commiſiſſent. 2. De naturali imaginis, qua quis ſimilitudinem gerit & imaginem alterius in ſuâ naturâ; ſicut Adam dicitur genuiſſe Sethum ad ſuam ſimilitudinem & imaginem, qua ſcil. Sethus habuit rationem ad imaginem & ſimilitudinem rationis & imaginis Adami; habuit intellectum & voluntatem ad ſimilitudinem & imaginem intellectus & voluntatis Adami; habuit voluntatem peccatricem ad imaginem & ſimilitudinem voluntatis peccatricis Adami. Atque hoc modo infantes dicuntur peccare ad ſimilitudinem & imaginem tranſgreſſionis Adami. 3. De naturali proportionis, qua functiones & a-

ctiones unius, proportionem habent ad actiones & functiones alterius, pro diverſa organorum conſtitutione; ſicut Sethus infans ratiocinabatur & agebat ad ſimilitudinem ratiocinationis Adami adulti. Eodemque modo peccant infantes ad proportionalem ſimilitudinem peccati Adami. *Reſp.* Minor falſa eſt. Probatio à triplici ſimilitudinis ſpecie nihil hic affert momenti. *Prima* peccat *elencho parium:* Confunduntur enim diverſæ Apoſtoli locutionis, *peccare in Adamo* & *peccare ad ſimilitudinem tranſgreſsionis Adami*; prior notat, quam urget, imputationem; poſterior non item: infantes dici poſſunt *peccare in Adamo*, non poſſunt dici *peccare ſicut Adam*; prior enim locutio actionem tribuit non infantibus ſed Adamo pro ſe & infantibus; unde eâ proprie denotatur imputatio, utpote quæ fundatur non in actione

ctione propriâ, ſed alterius. At ſi poſteriori modo peccare dicerentur, ipſis tribueretur actio, cujus capaces non ſunt: facere enim aliquid ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι alterius, nihil aliud eſt, quam actualis imitatio actionis quam fecit alius. Sic Matth. 6. 8. ne ipſis ὁμοιωθῆτε aſſimilemini, ne faciatis ſicut illi, ne eos imitemini. *Secunda* peccat *ignoratione elenchi*. Non hic agitur de imagine, quâ natura filii refert naturam Patris; ſed de actione, quâ filius imitatur Patrem: non enim dicit Apoſtolus, mortem regnaſſe etiam in eos, qui ſunt ſimiles Adamo, ſed qui non peccarunt ſicut Adam: priori modo fatemur excludi infantes, omnes enim Adamo ſunt ſimiles naturâ, ſed nullus eorum, quamdiu infans eſt, peccat ſicut Adam. *Tertia* laborat *homonymia:* non negamus, infantes peccare proportionaliter, ſicut Adam, ſi de iis

ſermo

ſermo ſit, quos Hebræi vocant עוללים qui jam operari incipiunt, & actiones patrum imitari. De ijs autem hic non agit Apoſtolus. Dicuntur ergo hic infantes non peccare actualiter ſicut actualiter peccavit Adamus, & actualiter peccant adulti. Et hoc voluiſſe Apoſtolum, conſtat, quia unicè urgebat imputationem peccati Adami; eam autem luculentius demonſtrare non poterat, quam in iis, in quibus mors regnaverat propter peccatum, & tamen actualiter nondum peccaverant. Neſcio ergo, qua fronte anonymus dicere audeat, *iis non eſſe hic locum*. Sed quid longiori deductione opus? jugulat totum hoc argumentum proprio ſuo telo, qui (Cap. 16.) agnoſcit, Judæos peccaſſe ad ſimilitudinem peccati Adami, quatenus tranſgreſſi ſunt legem ſicut Adam. Qui tranſgreditur legem Dei ſicut Judæi ille pec-

cat actualiter; at qui tranſgreditur legem Dei ſicut Judæi, ille peccat ad ſimilitudinem Adami: ergo qui peccat ad ſimilitudinem Adami, ille peccat actualiter. vel hinc ſequetur, eos, qui non peccant ad ſimilitudinem Adami, eſſe eos, qui non peccant actualiter, ut infantes; vel falſum erit, contraria contrariorum eſſe conſequentia. Et quamvis ſyllogiſmus ſit in *Darapti*, concluſio tamen particularis cauſæ non officit; ſufficit enim probaſſe, non peccare ad ſimilitudinem Adami, hic idem eſſe poſſe, quod, non peccare actualiter, quod diverſis illis ſimilitudinis ſpeciebus intervertere nobis ſtudebat Anonymus, quia ſoli infantes illi ſunt qui non peccant actualiter. Et hoc adeo verum eſt, ut ne ipſe illud diffiteri audeat, ſed per adjectum, *ſicut Adam*, conatur evadere, quo de infantibus (cap. 6.) affirmat, eos pec-

 caſſe

caſſe actualiter ſicut Adam, *quâ ratione potuiſſet mors actualiter regnare in infantes, quemadmodum regnaverat in Adamo, niſi infantes actualiter peccaſſent quemadmodũ Adamus peccaverat?* c.16. de Adultis negat, *ullum unquam peccare poſſe actualiter ſicut Adam*. Prius Sophiſma ludit in phraſibus, actualiter peccare ſicut Adam, & actualiter peccatum Adami imputari, quas ille miſerè confundit. Regnat mors in infantes actualiter, non quod actualiter peccent ſicut Adam, ſed quod ipſis peccatum Adami actualiter imputetur, & hoc non eſt peccare ſicut Adam, ſed eſt peccare in Adamo, uti jam demonſtratum. Poſterius ſophiſma ſupra, ad Argumentum ſecundum primi generis in ſecundo medio, fuit confutatum. Hactenus de loco Pauli.

II. *De Præadamitis in Theſi.*

A*Nte Adamum homines in mundo fuiſſe* probat, *Primò* diſtinctione

ctione creationis hominum, de quibus cap. 1. Geneſ. à creatione Adami, de quo cap. 2. *Reſp.* Continet caput 2. non creationem ſeparatam à creatione præcedenti, ſed brevem recapitulationem ejuſdem creationis, quæ cap. 1. deſcribitur, uti liquet ex v. 5. ubi dicitur, *Deum nondum dimiſiſſe pluviam ſuper terram & nullum fuiſſe hominem ad eam colendam*, ilicoque ſubjunxit, *ſinxit Deus hominem de pulvere terræ, ſufflavitque in nares ipſius halitum vitæ*, & mox. *Et accipiens hominem collocavit eum in hortum Edenis*; ubi videmus, ante hominem illum, qui collocatus fuit in horto Edenis, nullum fuiſſe hominem. Eadem ergo eſt creatio hominis, quæ utroque capite deſcribitur, ſed diverſimodè; nam cap. 1. refertur obiter non tam ipſa creatio quam creationis tempus & ordo in diſtinctione 6 dierum, at c. 2. recenſetur diſtinctè modus crea-

tionis utriuſque ſexus; liquet idem ex utriuſque tam maris quam fœminæ nominibus. Mas enim utrobique vocatur הָאָדָם *homo*; quod non conveniret, ſi Adam non eſſet primus, adhibenda enim fuiſſet diſtinctio nominum. Nec dici poteſt, cap.2. illud eſſe nomen proprium; nam utrobique adhibetur ה articulus, qui nominibus propriis non competit: deinde, quando omnes homines dicuntur בְּנֵי אָדָם *filii hominis*, ut Pſal.11: 4. & 12: 2.9. &c. τὸ אָדָם non debet ſumi collectivè, pro primis illis hominibus ante Adamum conditis, ſic enim falſum erit, omnes homines eſſe filios iſtorum hominum, quia excipiendi erunt ſaltem Judæi. Sumendum ergo individualiter, pro iſto homine, qui poſitus fuit in horto Edenis, cujus omnes mortales filii ſunt, teſte Paulo Actor.17: 26. *fecit ex uno ſanguine totam gentem hominum*; quē

qui-

quidem locum Anonymus eludere ſatagit, dum ex *uno ſanguine* exponit, ex *eodẽ luto*, uti in illo Iobi 33.6. ſed oſtendit ſe parum in hebraiſmo eſſe verſatum, quem ſi rectè expendiſſet, ipſum fortè puduiſſet. Nihil enim frequentius Hebræis, quam uſurpare vocem ſanguinis, pro homine aut vita hominis, ut *Sanguis juſtus, ultor ſanguinis.* & licet pro luto ſumeretur hic, neceſſariò tamen foret intelligenda iſta luti portio, ex qua conditus eſt unus aliquis, nempe Adamus, nam τὸ ἕν hic non notat ſpecie ſed numero unum; opponitur enim omnibus hominibus inde ortis, qui non differunt ſpecie ſed numero. Eò ergo non pertinet locus Iobi; ubi non agitur de principio generationis ſed corruptionis potius, non dicit Eliu, ſe & Iobum eſſe formatos ex uno luto, ſed ſe etiam eſſe ex luto, ut habet textus hebræus, id eſt ejuſdem naturæ

 ſpe-

ſpecificæ participē, & fragiliati obnoxium. Uxor Adami vocatur חוה & ratio redditur, quod fuerit mater כל חי *omnium viventium.* At per omnes viventes ſolos Judæos intelligendos eſſe, velim ut mihi demonſtret anonymus. Non minus luculenter illud oſtenditur ex initio c. 5. ubi recenſetur poſteritas Adami, & præmittitur: *liber generationum Adami, quo die creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem ſuam creavit ipſum, marem & fœminam creavit eos, ac benedixit eis.* Hæc de Adamo & Eva dici, non eſt dubium, ſunt autem nihil aliud quam repetitio verborum quæ leguntur cap. 1: 27. 28.

Secundò probat eandem hypotheſin ex eo, quod Judæi alicubi dicuntur *filii Adam*, ut Deut. 32. 8. Pſ. 58: 2. Ergo illi ſoli ſunt ex Adamo, non item Gentiles. *Reſp.* 1. Si loci rectè expendantur, falſum eſt, ibi intelligi ſolos Judæos. Nec Deut.

32. di-

32. diſtributio terræ inter filios Adam, de quâ ibi Moſes, eſt diſtributio terræ Canaan inter 12 tribus; hæc enim adhuc erat futura: at ille de præterita loquitur, quæ inter gentes facta, ubi, בני אדם גוים, עמים promiſcue omnes mundi gentes notant, & ait iſtam diſtributionem ita eſſe factam à Deo, ut populo ſuo portionem ſuam inter alias reſervaverit. 2. quamvis per בני אדם alicubi intelligantur Judæi; vel Adam dicatur pater Judæorum; hoc tamen non ſumendum excluſivè ad Gentes, quæ ſæpius iſto epitheto inſigniuntur, fatente Anonymo, qui fruſtra inter Adam & Adam diſtinguit, quod ſupra oſtenſum.

Tertiò, à loco Deut. 28: 36. ubi minatur Deus, ſe *abducturum Iſraelem & Regem ejus ad gentem quam non noverit, nec majores ejus*, id eſt, quam nec ipſe Adamus noverit, ut-

pote aliunde oriundam. *Reſp.*negat. conſeq. loquitur enim de tempore adhuc futuro; & majores ibi ſunt iſtorum Judæorum majores, qui aliquando abducendi dicuntur. Iſtis majoribus futura erat incognita gens illa, ad quam ducendi erant illorum poſteri, gens nempe Aſſyriorum & Chaldæorum, quos ex Adamo fuiſſe & Noacho, apertiſſimè conſtat, ſiquidem iſta regio diluvio ſubmerſa fuit, quam, eo exſiccato, incoluerunt poſteri Noachi.

Quartò, à Geneſ. 17: 12. *Circumcides etiam quicquid non fuerit de ſtirpe tua*, id eſt, genere Adamico. Hoc argumento dicit Anonymus ſe vero veriſſimo velle vincere. Miror hominis futilitatem: Quaſi, quicquid non eſt ex ſemine Abrahami (ut ait textus hebraicus, quem non inſpexit, & ideo ſe aliquid præſidii invenire putat in voce *ſtirpis*) etiam non ſit ex genere Adamico.

Quin-

Quintò, ab Annorum calculo Gentilium, qui Adami ætatem longè exhaurit; & inter alios, prodigioſa illa Chinenſium periodo, quibus, teſte Scaligero, Annus Chriſti 1594 erat octingenties octagies Milleſimus ſeptuageſimus tertius, à condito mundo. *Reſp.* Mirum, hominem Chriſtianum obtrudere Chriſtianis gentilium computa, qui mundi primordia ad unum omnes ignorarunt, adeo ut plurimi eum ab æterno fuiſſe crediderint, quique ex putidiſſimis fabulis, quibus & imaginaria aſſignarunt ſpatia & ætates, ſibi Deos & divinos cultus finxerunt: quaſi æra mundi, ſecundum Sacram Scripturam concinnata, Judæis (ut jam de technica illa R. Hillelis, quam hodie ſequuntur, nihil dicā) conſtanter recepta, Chriſti & Apoſtolorum tempore credita, probata, iis omnibus refellendis nobis (Chriſtianis inquam) non ſufficiat.

Sextò, ſequuntur nonnulla argumenta egregia, quæ confertim (fortè tum plus roboris habitura, quia vis unita fortior) proponemus, nempe: *Collocavit Deus hominem in paradiſo ad colendum eum*, ergo creaverat eum extra paradiſum, & quidem infantem, qui factus adultior, in paradiſo collocandus eſſet ad eum colendum. *Adduxat ad Adamum beſtias, ut videret qui vocaret ſingulas.* Ergo Adamus ephebus apprimè edoctus fuit (procul dubio in celeberrimis illis præadamitarum Academiis, de quibus Chinenſium hiſtoria conſulenda, ad philoſophiæ doctoratum promotus) naturalem omnem hiſtoriam animantium & volatilium, cui rei fidem anonymo noſtro facit nomen preceptoris Adami *Somboſcer*, de quo *Talmud*, liber ſcil. fide digniſſimus; ſed non conſiderat, Talmudicos nil niſi myſteria ſuis figmentis ſectari,

ctari, quibus idcircò ludibrium debet, qui in ipſorum nugis aliquid rimari velit, quod antiquam ut ait veritatem redoleat. *Omne quod vocavit Adamus id nomen ejus eſt.* Ergo commentaria conſcripſit Adam & dictionaria nominum, ne memoriæ exciderent. *Non aderat Adamo auxilium commodum.* Ergo aſpexit filias Gentium, an aliqua digna eſſet, quæ ipſi matrimonio jungeretur, ſed nulla reperta fuit. *Ædificavit Deus ex coſta Mulierem.* Ergo condidit Evam infantem, quæ ad núbilem crevit ætatem, antequam ad illam duceretur. *Fecit eis tunicas pelliceas.* Ergo tunc temporis in mundo erant coriarii, alutarii,& palliones. Solidum ſcil. argumentum. Si pelliones, & coriarii, & alutarii, quidni & fabri ferrarii,& architecti, quibus non magis carere poterant homines quam pellionibus: & non veriſimile eſt,præadamitas tot millenis

lenis annis habitaſſe ſub dio inſtàr ferarum, præſertim cum erectæ eſſent curiæ, Judices, magiſtratus, leges politicæ, & omnia humano more regerentur, ut vult Anonymus; imò & muſici tum temporis procul dubio erant, & omnis generis inſtrumenta muſica, quibus ſe recrearent divites, magiſtratus, & magnates. At iſta omnia à Caini poſteris demum reperta fuerunt, cap. 4. Gen. ubi אב alicujus artis primum Autorem & inventoren ſignificat, juxta Hebræos. nimirum tanto impetu in ſuum commentum ferebatur anonymus, ut hoc animadvertere non potuerit. Deinde, *erat Abel paſtor ovium*, eas ſcil. cuſtodiens: ergo erant tum fures in mundo. *Dixit Cain Abeli egrediamur foràs*, q. d. extra muros. Ergo habitabat tum Adamus, cum ſuis, in urbe munita. Dixit Dominus Caino *ſi male egeris, præ foribus eſt peccatum excubans*;

præ

præ foribus ipſi eſt præ curia. Ergo tum erant Judices politici, à quibus ſibi metuere debebat Cain. *Duxit Cain uxorem.* Ergo duxit unam ex præadamitanis Gentibus. Dixit, *qui invenerit me, interficiet me.* Ergo à Gentibus ſibi metuebat. *Reſpondeo* ad hæc ultima (reliqua enim reſponſo non dignor.) Miror, hęſitare multos circa Caini metum & matrimonium, quaſi utrumque reſpectum aliquem implicet ad homines alios ex Adamo non oriundos; in quo ſanè ego ne minimam quidem reperio difficultatem; quod ut oſtendam, falſiſſimum eſſe dico quod ait Anonymus, Adamum, occiſo Abele, & Caino profugo, *orbum fuiſſe liberis*, donec tandem 130 ætatis ſuæ annis exactis generaret Sethum. Quis enim credat, primos parentes, qui orbem ſua ſpecie implere debebant, quibus benedixerat Deus, *fœtificate, augeſcite, implete terram, ſub-*

ſubjicite eam; utero occluſo 130 annis ſediſſe, nulloſque habuiſſe liberos, præter primogenitos illos Cainum & Abelem, cæteris interim animantibus divina benedictione copiosè fruentibus. Cui, quæſo, hoc fiet veriſimile? contrarium teſtatur *Ioſephus*, qui dicit, præter Cainum & Abelem *natas eis eſſe filias*. Addo ego, non filias tantum, ſed & filios, adeo ut numeroſam haberet familiam antequam Cain occideret Abelem; hoc enim ex divina benedictione neceſſariò ſequi debebat, imò evidentiſſimè demonſtratur ex tota illa antiquorum patrum genealogiâ cap. 5. deſcriptâ. *Seth vixit* 105 *annos, & genuit Enoſchum, & vixit Seth poſtquam genuit Enoſchum* 807 *annis, & genuit filios & filias: vixit Enoſch* 90 *annos cum genuit Kenanem, & vixit Enoſch poſtquam genuit Kenanem* 815 *annos, genuitque filios & filias.* & ſic deinceps.

ceps. Sanè, qui Moſis ſcopum intelligit, tam ineptus non erit, ut dicat, Sethum ante 105 ætatis annum, vel Enoſchum ante 90 non generaſſe. (non enim eſt veriſimile, ex. gr. Noachum non genuiſſe, niſi demum poſt 500 ætatis annum, quando genuit Semum) quippe Moſis ſcopus duntaxat erat, ſacram illam Patriarcharum recenſere familiam, non omnes Adami Poſteros. Genuit ergo Seth anno ætatis 105 non primogenitum ſuum ſed Enoſchum, & ſic de aliis. Imò, qui hebraici ſermonis genium probè intelligit, facilè agnoſcet, verba illa, *& genuit filios & filias*, quæ toties repetuntur, non ſolas denotare generationes poſteriores, ſed omnes totius vitę in genere. Non enim dicitur ex gr. Sethum genuiſſe filios & filias, poſtquam genuiſſet Enoſchum, ſed dicitur, ipſum vixiſſe 807 annos, poſtquam genuiſſet Eno-

noſchum, additurque ויולד *& genuit* filios & filias, nimirū, toto vitæ ſuæ tempore: ubi nihil moror verſionem Tremellii & Junii, qui vertunt, *quibus genuit*, quaſi 807 illis poſterioribus annis tantum genuerit; quod illi de ſuo addunt; loquitur enim textus Hebræus indefinitè, nullumque ætatis tempus limitans, nec à limitatione antecedentis. ויולד את אנוש *& genuit Enoſchum*, ſcil. natus 105 annos, ad conſequentis limitationem concluditur; quia deſignati illius 105 annorum temporis, nulla alia poteſt dari ratio, quam quod eo exacto genuerit Enoſchum. Idem de Adamo judicium. Quid ergo ad hæc anonymus? nihil niſi rationem nominis Sethi, quam reddit (non Adamus, ut ait, ſed) Eva: *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abelo, quem occidit Cainus.* Ergo uſque ad 130 ætatis annum liberos non habuit Adamus,

mus, præter Cainum & Abelum, in cujus locum tum demum ſuffectus eſt Seth. *Reſp.* An non pudet hominem, tam levi argumento divinæ benedictionis curſum, quæ fallere non poterat, tanto ſpatio velle ſuſpendere? Natus eſt Seth eo ipſo procul dubio tempore, quo Cain occidit Abelem. Eâ ergo occaſione dixit Eva, *poſuit mihi, &c.* Ergone nullos tum habebat liberos alios? quæ hæc eſt conſequentia? imò plurimos habebat, ſed ſceleratos, procul dubio, & Caino ſimiles, ideo eos mentione non dignatur Moſes, uti nec eos, qui à ſucceſſoribus Patriarchis nati ſunt. Solus autem Abel erat vir pius, cui è medio ſublato Deus ſubſtituit Sethum, virum optimum, & virtuti debitum, ut ait Ioſephus, ut in eo ſacra Eccleſiæ familia propagaretur.

Septimò, Argumentatur etiam à *temporibus* illis *æternis*, de quibus

toties

toties Scriptura; ut cum Apoſtolus
dicit Col.1. Myſterium fuiſſe ab-
ſconditum à temporibus æternis;
unde ſequitur, mundum non eſſe
nuper natum, ſed æternum, non æ-
ternitate abſoluta, quæ eſt ante æ-
ternũ, ſed æternitate reſpectu no-
ſtri, quia non poſſumus aſſequi ejus
numerum. *Reſp.* Hebraiſmi igno-
rantia deceptus, ludit in voce *æ-
terni* τὸ עולם apud hebræos, cui
reſpondit αἰὼν Græcorum, non pro-
priè notat æternitatem, ſed tempus
indefinitum; hebraice *abſconditum*,
& hinc in duplici figurâ uſurpatur,
primò notat æternitatem, quæ ab-
ſcondita eſt, cum careat principio
& fine. deinde ipſum mundum no-
tat, ut hebræi illud ſumunt commu-
niter, & Paulus τοὺς αἰῶνας Hebr. 1:
2. non quod principium mundi ſit
abſconditum, ſed quod mundus
abſcondatur & teratur in tempore
unde phraſis מעולם à mundo, id
eſt,

eſt, quamdiu mundus ſubſtitit, græcè ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ γενεῶν. Et ab iſto עולם latini mutuati ſunt ſuum *olim*, quo denotat, non tempus abſconditum, cujus principium ſit incognitum, ſed tempus longè præteritum, ſeu longè futurum; id enim verè eſt abſconditum, non reſpectu cognitionis, ſed reſpectu temporis præſentis, à quo eſt remotius. ſic hebræis *abſcondere aliquid*, eſt, tollere illud è medio, ut non amplius ſit præſens, coram, licet probe notum. Sic Iob. 3:9. *non abſcondit malitiam ab oculis meis*, id eſt, non ſuſtulit eam, præſens jam eſt.

Atque hæc ſunt præcipua Argumenta, quibus pro commento ſuo pugnat Anonymus, cui cum vehementer obſtare videret hiſtoriam diluvii (quæ Adamum, non Judæorum duntaxat, ſed & omnium omninò gentium Patrē per Noachum

con-

conſtituit) fingit, non fuiſſe diluvium illud univerſale, ſed ſolum orbem Judaicum eo immerſum fuiſſe. Quod ut contra evidentia ſcripturæ loca evincat, contendit, ſermonem ſcripturæ eſſe hyperbolicum, luxuriante ſtylo multa ſcribi de toto, quæ de aliquâ ejus parte tantum intelligenda ſunt, multa figurato dicendi generi obſcurè involvi, quæ aliter, quam verba ſonant, ſumenda ſunt; idque conſtare ex duobus illis miraculis ſolaribus, quando ſol apud Ioſuam dicitur ſtetiſſe, & apud Ieſaiam retroceſſiſſe, quod tamen non niſi de ejus lumine & umbra, quam in iſto loco, ubi hoc contigit, effecerit, non de ipſo ſole verum ſit. Proindeque cœli cataractas & ruptos abyſſi magnę fontes, quibus obruta terra fuit, mare Palæſtinorum exundans, & majorem ſolito vim pluviæ intelligi debere. Animalia ſubmerſa, eſſe

gentes

gentes Judæis permixtas, quæ brutis aſſimulantur in ſacris: Reptilia porrò & volatilia, ſoli & aëris Judaici duntaxat fuiſſe, quæ una cum hominibus interierunt, non gentium aliarum. Conſtare illud ex hiſtoria columbæ, quæ in Arcam Noachi redux ramum olivæ, procul dubio in vicina Aſia, ubi diluvium non erat, decerptum attulit hoſpiti ſuo; item ex aquarum altitudine, quæ 15 duntaxat cubitis montem Ararat ſuperantes, geometricâ proportione obſervatâ, vix ultra 100 milliarium ſuperficiem ob Globi terrei convexitatem tegere potuerunt. conſtare etiam ex Chronologia Ægyptiorum apud Herodotum, Ægyptum diluvio obrutam non fuiſſe. *Reſp.* Quis protervam hominis ferat audaciam? In propheticis ſcriptis ſcripturam uti figuratis locutionibus, imò quandoque hyperbolicis, quæ hebraiſmi in iſto ge-

nere elegantia eſt, non imus inſicias; at in hiſtoricis fingere hyperbolas, nihil aliud eſt, quam Spiritum S. inſimulare mendacii, & atheum ſe prodere. Proinde non eſt, quod prolixius cum homine ſuper hâc controverſiâ, quæ hujus loci non eſt, agamus. Sola quæſtio hic eſt de univerſali diluvio, cujus hiſtoria, prout Moſes eam deſcribit, rectè expenſa, luculenter confutat, quicquid comminiſcitur. *Terram* abſolutè poſitam, & *totam terram*, juxta phraſin ſcripturæ, ſæpe notare terram Judaicam, non diffitemur, ſed פני האדמה *ſuperficiem terræ*, ſumi alicubi pro terrâ Judaicâ, כל בשר *omnem carnem* pro ſolis Judæis, & *montes omnes altiſſimos ſub univerſo cœlo* eſſe tantum montes terræ Judaicæ vel alterius cujuſdam regionis, hoc phraſis hiſtorica in ſacris literis non admittit, nec in verbis *exſpiravit omnis caro, quæ reptabat ſuper*

per terram, volucrium, pecudum, & beſtiarum, & omnium reptilium quæ repunt ſuper terram, & omnis homo, caro & homines Judaicæ magis terræ adſtringendi ſunt quam volucres cœli, quæ per univerſam aëris regionem liberè vagantur. Alias ſanè ipſum cœlum fuiſſet tantum cœlum Judaicum, volucres & aves, aves Judaicæ, arcus Iridis in nube poſitus, arcus Judaicus; ſumma, nihil non erit Judaicum, quæ omnia manifeſtè abſurda. Tum, ſi cauſam iſtius cataclyſmi inſpiciamus, univerſalem eſſe oportuit. Perdere volebat univerſam terram Deus, quare? quia univerſa erat corrupta, *& malitiam hominum augeſcere videbat*; at non tantum Adamitas, ſed & præadamitas corruptos fatetur Anonymus, idque propter materiam corruptioni obnoxiam: quicquid ergo corruptum erat, perdidit in diluvio, ſolo Noacho cum ſuis

exce-

excepto. Adde, ſi diluvium illud tantum ad 100 circiter milliaria ſe extendit, quid neceſſe erat, ut Noachus arcam tam operoſè exſtrueret; annon poterat in vicinam Aſiam fugâ ſe proripere? Quid opus, ex omni beſtiarum genere, imò & volucrum, binas in arcam introducere, ad conſervandum in vita ſemen earum, ut ait textus; annon ex vicina Aſia vel Ægypto omnis generis bruta & pecora in ſolum illud Judaicum poterant immitti? an non vicinarum regionum volucres aërem Judaicum pervolare? quemadmodum ciconiæ in noſtrum orbem ex longè diſſitis regionibus transvolant, ita ut earum ſpeciem conſervare, neceſſe non habeamus. Sed & quæ neceſſitas urgebat aves finiendi vitam in diluvio, an non ſolum vertere, & in Taurinis montibus & ſylvis, ubi in tuto fuiſſent, perfugium quærere poterant? Et

corvus

corvus itemque columba à Noacho emiſſi, ſed mox reverſi, quod quietis locum non invenirent, an non invenire poterant elatiores illos ſuperioris Aſiæ campos, uti altera columba olivæ ramum decerpebat, ut ibi quieſcerent? nec eſt, quod philoſophetur de globi convexitate, quæ univerſalem inundationem impediverit; eadem enim convexitas, quæ in terra, etiam in mari eſt, quod undiquaque, perruptis abyſſi fontibus, exundans, totum terræ convexum ſuâ convexitate obtexit. Tum, quod ait, diluvii aquas non inundaſſe Ægyptum; dicat ergo rationem, quare Ægyptus hebraicè apud Moſen vocetur מצרים, annon à Mitzraim, filio Chami, nepote Noachi, qui exſiccato diluvio primus eam occupavit? ſed abrumpo, nugas enim refellendo, nugas agere videor, ea demonſtrans, quæ demonſtratione non indigent.

Epilogus ad Anonymum.

Vocavi te Anonymum, quia latere volebas, tametſi nomen tuum me non lateat, imò genus tuum & familia, ex qua oriundus es, mihi melius nota ſit, quam tibi ipſi; novi enim, te eſſe filium Adami, cujus te neſcium profiteris in alloquio tuo ad Iudæos, quos filios Dei nuncupas, & vehementer te optas eſſe unum ex illis. Sed ſis bono animo, brevi enim, ut video, eris ex eorum numero: at in Socini familiam prius adoptandus, antequam in nobilem iſtam gentem tranſire poſſis: an autem hac ratione ex filijs Dei futurus ſis, tibi non perinde conceſſero.

Profectò, ſatis mirari non poſſum, quomodo dicere auſus ſis, nullum prorſus oriri incommodum ex hāc tuâ hypotheſi. Poteras hoc quidem minus in materia Theo-

Theologica verſatis inter privatos obtrudere parietes, at evulgato in publicum ſcripto idem peritioribus perſuadere velle, ſummæ erat imprudentiæ. Vel enim Socini dogmata & ſcopum te ignoraſſe oportet; vel perſuaſum fuiſſe, non adeo Socinianam doctrinam omnium cognitioni tritam eſſe, quin facilè ſubfictæ tuæ imputationis larvâ orbi Chriſtiano fucum facere poſſes. Prius induci non poſſum ut credam; ſi poſterius in animo habuiſti, cautius agendum fuiſſet.

Ne autem injuriam tibi fieri, contendas jure, conferamus præcipua tuæ hypotheſeos Capita, cum placitis Socini, & ſumma quoad rem deprehendetur conformitas. S. Theologiæ ſyſtemata ſcribentibus, prima capita eſſe ſolent de Deo, S. Trinitate, & S. Scripturâ, à quibus tu etiam, quia Syſtema Theologicum ſcribebas,

initium facere debebas; ſed tergiverſaris, nihil enim ſani circa iſtam doctrinam in mente habebas. S. Trinitatis Myſterium ne quidem de nomine apud te, quod meminerim, innoteſcit, nimirum, quod fortè non credebas, nec refutare audebas, conſultius non nominare judicabas. Quod tamen, ſi candidè & pro ſyſtematico tuo inſtituto agere voluiſſes, minimè diſſimulare debebas, præſertim, cum cap. 1. l. 1. te de uno Deo agere profitearis. Loqueris quidem variis locis, de ſpiritu qui ex Deo eſt, de Chriſto, Dei filio, æterno, ſed an ejuſdem cum Deo Patre eſſentiæ ſint, ſtudio non definis. Et tot tibi ſunt æternitatis ſpecies, ut pedem facilè referre poſſis, ſi longius progreſſus videaris; habes enim (cap. 10. lib. 4.) duplex initium, unum ante ſecula condita, alterum à ſeculis conditis: prius initium tibi eſt æternitas ante tempo-

ra æterna; poſterius, æternitas à temporibus æternis. Ais, Deum poſſediſſe ſapientiam (id eſt Chriſtum) in primo initio, eamque ordinaſſe in ſecundo initio: ubi non obſcurè te prodis Arianum, qui Chriſtum dicebat eſſe creaturam, ante mundi primordia ex non exiſtentibus conditam, & quamvis tu illud non profitearis apertè, perinde tamen eſt ac ſi apertè profitereris; dum enim ais, Chriſtum fuiſſe in initio primo apud Deum, ſatis oſtendis, te ipſum credere creaturam nam ſi Patri coeſſentialem agnoſceres, cui bono fingeres iſtud initium primum, quod nullum eſt, ſi ante iſtud initium Chriſtus cum Patre, patri coeſſentialis, fuiſſe dicatur. Et hinc eſt, quod toties laudes dictum Prov. 8: 22. quod in reprobum ſenſum raptatum, Ario primam ſuæ Hæreſeos occaſionem dediſſe teſtatur Epiphanius. Hoc

te latuiſſe, mihi non facilè perſuadebis.

At ubi de S. Scripturâ loqueris, confidentiorem te oſtendis, qui cui nihil reliquum facis, quam quod credas, eam eſſe à Deo: ſed hâc in parte nihil ei gratificaris, quod ipſe etiam Socinus non concedat. Clamitas interim (cap. 1. 2. lib. 4.) multa in ea eſſe *obſcura, confuſa, omiſſa, manca, mutila, diverſa, aliena, turbata paſſim pleraque, invicem pugnantia ut frigida calidis & humentia ſiccis*; hæc ipſe Socinus crudius effutire non potuiſſet: quereris, ſtylum ejus eſſe *luxuriantem* & *hyperbolicum*, &c. quare non addis *mendacem*, ſic uno verbo dixiſſes quod in animo habebas? contendis, multa in ſacris literis eſſe *apographa* non *autographa*, idque variis doces exemplis; cui bono? vel enim iſta apographa pro θεόπνευστοις agnoſcis, vel nõ agnoſcis; ſi agnoſcis, in quem finem corradis
iſta?

iſta? nihil enim hic novi adfers in medium, cui jamdudum à ſcripturæ interpretibus & vindicibus non fuerit ſatisfactum, quorum ſolutiones inſpicere debuiſſes, vel ſi inſpexiſti, iis debebas eſſe contentus, quia nihil habebas quo illas impugnares. Si non agnoſcis, quare ergo dicis, ſcripturam eſſe à Deo? liquet inde, ſcopum tibi alium non fuiſſe, quam ut Divinam ſcripturæ Autoritatem pedibus proculcares, eique deliriorum tuorum Dagonem, ex fabulatoribus ethnicis compilatum ſuperim poneres; pejor Socino, quia ſcripturam duntaxat cum ſeipſâ committebat, non cum ſcriptis humanis, probè conſcius, ejus authoritatem nullo humano teſtimonio eſſe enervandam.

Doctrinam tuam de creatione Adami, de conditione ejus mortali, de proclivitate materiæ ad peccandum, de peccato originali, purè So-

cinianam eſſe, tam eſt manifeſtum, ut illud oſtendere non ſit neceſſe. cui tuum ſuperaddis λήρημα de peccato præadamitico, non exiſtente lege, quod non Orthodoxis, ſed & ipſis Socinianis debet ludibrium.

Quid nunc ergo reſtat, quam ut dicas, te credere imputationem peccati Adami, & Juſtitiæ Chriſti, quam non credebat Socinus. *Reſp.* verum eſt, te eam credere, ſed quomodo credis? Ita nimirum credis, ut credere & non credere ſit perinde; nihil enim eſt aliud quam Iocularis luſus iſta tua imputatio, nihil, inquam, præter nudum nomen, quo fucum facis hominibus; qui enim rem tollit & rei fundamentum, nihil præter nudum nomen relinquit. hoc tu facis. *Primò*, rem tollis; imputatio enim eſt, quando quis loco alterius habetur, haud ſecus ac ſi idem feciſſet quod alter, eandemq; recipit ſeu pœnam, ſeu præmium, quod

quod deſtinatum eſt alteri qui fecit. Hanc rem tollis in peccato Adami (lib.5. cap.3.) dicis enim; *Hoc intereſſe inter pœnas inflictas ex imputationibus phyſicis & politicis, & pœnas decretas ex imputatione myſtica peccati Adami; quod pœnæ illæ phyſicæ & reales fuerint, ſecundum naturam imputationum ſuarum realem & phyſicam; hæ verò myſticæ & ſpiritu intellectæ, ex imputatione ſpiritali & myſtica noxæ Adamicæ. Peccatum certè Adami nihil addidit naturæ hominum peccatrici præter merum reatum, qui myſticè intelligi debuit. At neque pœnæ ex imputatione peccati illius ſancitæ, hilum addiderunt corruptioni & ſorti naturali omnium hominum, præter condemnationem myſticam, quæ intellectu ſolo concipi potuit.* Talem ergo fingis imputationem, per quam non infligitur pœna, ſed tantum reatus pœnę; & ideo vocas *imputationem myſticam*, ſed quare non potius *imagina-*

riam? Quod enim eſt myſticum, eſt ens aliquod reale, quamvis occultum: quod tamen entitatis naturam non tollit; at in tua imputatione nihil eſt, quod entis realis participet naturam, quicquid cadit in naturam humanam, ſive corruptio & vitioſitas, ſive mors corporis ſive æterna, id totum dicis eſſe ex ipſa natura, non ex imputatione peccati Adami. Et hoc eſt quod, ca. 7. ejuſdem libri agis, ubi te tenebras in clarorem tua hypotheſi convertiſſe putas, docendo, *peccata hominum omnia, malorum omnium peſtes, quæ homines malè multant, mortem eorum æternam quæ illos vita æterna interdicit, & ſuo illo vitio quod ſibi ipſis naturaliter inhæret, non ex alieno Adami delicto dimanaviſſe*. Quem tu hic clarorem tibi venditas, is non tuus ſed Socini eſt, cujus pluinis te ornare nō debebas. Et falleris, ſi exiſtimas, tuam imputationem novi quid claroris

roris fœnerare luci Socinianæ; ſatis enim Pelagius & Socinus te acuratiores perſpiciebant, non dari locum imputationi, ſi hæc ita docerentur. fruſtra ergo ſapis ſupra magiſtros tuos, quia nihil relinquis imputationi, ubi omnia tribuis naturæ; ſiquidem reatus iſte tuus nihil ponit in eſſe rei, neque quicquam infligit, ſi, quicquid infligitur, non eſt ex imputatione & reatu, ſed ex natura. Atque ita in brutum fulmen convertis divinam comminationem præcepti ſecundi, quo Deus ſe viſitaturum minatur peccata parentum in liberis; quę viſitatio præſupponit imputationem; ſed ea ſecundum te nihil niſi reatus eſt, non realis inflictio, id enim, quod infligitur, eſt ex natura liberorum non peccato parentum, adeoque non eſt quod liberi à peccatis parentum ſibi metuant, ſed tantum à ſuis. Et viciſſim inanis promiſſio erit, *non*

por-

portabit filius iniquitatem Patris, nil enim præter imaginarium portat reatum.

Sed & fundamentum tollis, ſine quo imputatio nec juſta eſt nec legitima. Requiritur enim, ut detur aliqua connexio inter utrumque imputationis ſubjectum, ſive illa *voluntaria* ſit, qualis eſt inter reum & fidejuſſorem, ſive *politica*, qualis inter Regem & ſubditos, ſive *naturalis*, qualis inter Patrem & filium: at nihil horum eſt in tuis *præadamitis*; neque enim fidejuſſerant pro Adamo, neque erant ſubditi Adami, neque erant filii Adami, quomodo ergo ipſis imputabitur peccatum Adami? Quod autem tu cap. 2. lib. 5. de connexione myſtica ais, qua inter utrumque ſubjectum nihil præter communem naturam intercedit, id verò nugari eſt; communio enim naturæ non poteſt eſſe fundamentum imputationis, alias

Tur-

Turcarum impietas poſſet imputari Belgis, quia naturam habent communem; quod vehementer abſurdum. Nec eſt, quod exemplum Chriſti, cujus juſtitia nobis imputatur, nobis referas; non enim fundatur iſta in communione naturæ, quam Chriſtus noſtræ ſimilem aſſumpſit, in quo miſerè falleris, ſed in fidejuſſione voluntaria, quia Chriſtus noſtro loco ſatisfecit. Ergo nec in naturâ, quam præadamitę cum Adamo ex tua hypotheſi habuerunt communem, fundari poteſt imputatio; & ſanè injurius es in ipſum Deum, quod tale imputationis ipſi affingis fundamentum, quod nec in Divino nec in humano jure cenſetur legitimum, ſed quia nil niſi merum phantaſma eſt, quod ei ſuperſtruis, aliquo modo es excuſandus.

Qualis ergo eſt imputatio peccati Adami, talis ex oppoſito tibi

eſt

eſt imputatio juſtitiæ Chriſti, nihil enim amplius Chriſtus imputatus à nobis tollere poteſt, quam Adamus imputatus nobis dedit; atque Adamus imputatus nihil nobis dedit, præter nudum & imaginarium reatum, reliqua enim omnia, quæ in naturam cadunt, nempe corruptio, & utraque mors, non ſunt ab Adamo ſed ab ipſâ naturâ. Ergo Chriſtus imputatus nihil ab hominibus tollit præter eundem imaginarium reatum, reliqua enim, nempe bona opera, & vita æterna, ſunt à naturâ, non à Chriſto. Nimirum, hoc eſt quod vis, & id ipſum etiam vult Socinus, ſed rejectâ phantaſticâ illâ imputatione juſtitiæ & mortis Chriſti, & meritò quidem, ſi res ita ſe habet, nihil enim aliud eſt quam non-ens, ſub nomine entis; & videris quidem Socino orthodoxior, quod ille fidem ſalvificam fingat, non imputativam, quæ ſibi Chriſti

juſtitiam imputet, ſed obedientialem duntaxat, quæ præceptis Chriſti cum fiducia in fœdus gratiæ, Chriſti morte confirmatum, exhibetur: Tu autem doceas fidem imputativam juſtitiæ & mortis Chriſti. Sed viciſſim Socino ineptior, quod ipſe doceat fidem cuivis hominum peculiarem; tu autem fingas fidem non imputativam tantum ſed & imputatam, id eſt, unam numero fidem, quæ ſolius Abrahami actualis fides ſit, ſed omnibus hominibus imputata, ſicut peccatum ſolius Adami peccatum eſt, omnibus hominibus imputatum, juſtitia ſolius Chriſti juſtitia, omnibus hominibus imputata. Sic enim loqueris cap. 9. lib. 5. *neque verò mirum videbitur, imputationē retrò actam fuiſſe in anteceſſores Adami, reputantibus quæ ſupra & plus ſatis inculcavi, imputationem fidei Abrahamicæ, theologorum ipſorum conſenſu, retrò actam*

fuiſſe

fuiſſe in anteceſſores Abrahami. Neſcio qua fronte dicere audeas, *Theologorum conſenſu* fidem Abrahami imputari. Tales te in Utopiâ Theologos, qui hoc tibi adſtipulentur, reperiſſe oportet, vel ubi tua hypotheſis fabricata fuit; nam in orbe Chriſtiano, nemo, quod ſciam, eſt qui id affirmet. Adamum docet imputatum ſcriptura, docet & imputatum Chriſtum; ſed Abrahamū imputatum non docet: legimus quidem, fidem Abrahami ſibi ipſi ad juſtitiam imputatam fuiſſe, ſed aliis imputatam eſſe non legimus, ſi quidem juſtus quiſque, non Abrahami, ſed ſuâ ipſius fide vivit. diciturque Abrahamus Pater credentium, eo duntaxat ſenſu, quo Socinus & tu procul dubio cum ipſo, Chriſtum credit patrem juſtificatorum, id eſt, in cujus morte juſtificatio operum fuit confirmata: ſic per fidem Abrahami confirmata fuit fi-

dei

dei juſtificatio in omnibus fidelibus, non Abrahami ſed ſuâ fide juſtificatis, quibus omnibus juſtificatus per fidem Abrahamus, propoſitus eſt in juſtificationis fidei exemplum; & hoc Paulus vocat *incedere veſtigiis fidei Patris noſtri Abrahami.* Rom.4: 12. & eos *Abrahami filios* vocat Chriſtus, *qui faciunt opera Abrahami.* Ioh.8: 39.

Quod de inani juſtitiæ & mortis Chriſti imputatione dico, id tibi non affingo, liquet enim hoc ex cap.7. l.5. ubi duo conſtituis repagula, quibus obſeratur Paradiſus & vita æterna, *innatum* nempe & *non innatum* ſeu imputatum: poſterius juſtitiæ & mortis Chriſti imputatione ais eſſe reſeratum & ablatum, prius non item: manet ergo homo, propter naturæ corruptionem & vitia, paradiſo excluſus, licet Chriſti juſtitia & mors ipſi imputata ſit. Dic jam, quem fructum homo habeat ex iſta imputatione? Quod autem addis ſecundum, (naturæ ſcil.) repagulum, demum à Chriſto reſurgente & ſanctificante amovendum eſſe, illud juxta mentem Smalcii & aliorum Sociniaſſeclarum (à quibus hoc mutuatus es) non

non fiet vi imputationis mortis Chriſti, quam illi non credunt, ſed ſolius Dei efficacia, bonorum operum & obedientialis fidei merito. neque aliud ex tua etiam doctrina colligi poteſt, doces enim c.6. Chriſtum *reſtituiſſe homines in quem locum eos acceperat Adamus*, id eſt, quo non imputatur ipſis peccatum Adami, nec propter peccatum Adami, ſed propter ſua quiſque peccata, intereunt. Et c.3. *Chriſtum momento illo, quo Adamus peccavit, ſubjectum eſſe in Adami locum ut ipſe mereretur morte illa legali, quam Adamus ſibi & omnibus hominibus accerſiverat, atque ita nec Adamum nec ullum mortalium revera mortuum eſſe iſta morte, ſed ſolum Chriſtum qui ſua morte eam ſuſtulit ab omnibus.* Sic ergo, quicquid mors Chriſti efficaciæ habet, totum eſt exhauſtum in tollendo iſto reatu, à peccato Adami omnibus hominibus incumbente; unde ſi cui in reſurrectione ſecundum illud naturæ repagulum amovendum, id jam non erit ex efficacia mortis Chriſti, ſed aliunde, ſiquidem à remotione primi repaguli ad remotionem poſterioris, conſequentia duci nequit, alias omnibus & ſingulis hominibus ſecundum repagulum amovendum eſſet, ſicut primum, vi mortis Chriſti, omnibus & ſingu-

ſingulis eſt amotum. Hoc autem non fit; nihil enim amplius mors Chriſti efficere poteſt, quam ut omnibus & ſingulis, removendo imputationem peccati Adami, patefaciat aditum ad paradiſum, ſed non introitum, utpote qui alio medio per remotionem repaguli naturalis non omnibus ſed paucis requiritur. Quod autem illud ſit medium, jam ex Sociniana doctrina oſtenſum eſt. Hinc jam firmiter concluditur, per te, & magiſtros tuos homines ſervandos facilè toto Chriſto (cujus regnum in fine mundi finem habiturum ſit) carere poſſe, utpote in quo, juxta Socinium, nihil habeant prȩter exemplum, in quo tanquam ſigillo confirmetur fœdus gratiæ ad juſtificationem operum; cui tu ſuperaddis phantaſicam tuam imputationem, quam magiſtri tui, quia inepta eſt, repudiant. Et ex iſto principio etiam fluit, quod nec Ethnicos, qui Chriſtum nunquam noverunt, à paradiſi ingreſſu arceatis, quemadmodum tu cap. ult. apertè doces. Cæterum, mirari quidem ſubiret, quomodo miſeros tuos præadamitas naturæ repagulo excludas paradiſo, cum peccaverint ſine lege, adeoque peccatum ipſis ſuum non fuerit imputatum; an qui non peccarunt contra Deum, quod ejus legem non habuerint, quibus pecca-

peccatum non reputatur pro peccato, non imputatur, cœlo tamen excludentur & morte æternâ plectuntur? quæ hæc eſt doctrina? ſi mors corporis ſine lege, pœnæ rationem non habet, ſed merè naturalis eſt, ſaltẽ animæ calamitas poſt mortem, aliam quam pœnæ rationem habere nequit. ſed mirari deſinet, qui novit, Socinianis paradiſi excluſionem, & mortem æternam, nihil aliud eſſe, quam animæ (quæ in fidelibus dormit uſque ad reſurrectionem, in infidelibus planè perit) annihilationem. Sicut ergo præadamitæ inſtar beſtiarum peccabant ſine lege, ſic & cum beſtiis interibant. Et hoc eſt, quod muſſas, apertè enim docere non audes, *ne videatur tua Hypotheſis aliquid habere incommodi*.

Argumenta quædam hinc inde ſpargis, quæ non multum moror, ſi quidem non tua ſunt, ſed à magiſtris tuis ea mutuatus es. Probas 1. peccatum naturale, ab Eva peccante, antequam peccaret, quia aſpexiſſe dicitur arborem delectabilem & pulchram oculis, corruperunt eam ergo ſenſus corrupti. *Reſp.* negatur, ſenſus ejus fuiſſe corruptos antequam diabolus eam tentaret; quod adeo falſum eſt, ut primo ejus inſultui generosè reſtiterit, & ſecundo demum manus dederit. Neque etiam peccatum primum

mum ita in externo comeſtionis actu collocamus,ut præcedentem inordinatum appetitum velimus excluſum,utpòte qui peccati illius pars fuit,ſed poſtquam perſuaſioni ſatanæ jam præbuiſſet aures, quod corruptiònis principium erat. 2. Mortem naturalem, à conditione ſerpentis, cui ſuper ventrem ire, & pulverem comedere injungitur,quod& antea ipſi naturale erat. *Reſp.* probandũ hoc erat,non præſupponendum. Erectiori corpore antea inceſsiſſe, inde fit probabile,quia numeratur,non inter reptilia, ſed inter beſtias agri. 3. Corruptionem naturæ non eſſe ex imputatione peccati Adami,quia corruptio eſt inæqualis,imputatio æqualis. *Reſp.* neg. conſeq. fluit corruptio ab imputatione, mediante propagatione, hæc inæqualitatem efficit non illa. Sicut juſtitia Chriſti imputatur æqualiter, non tamẽ ſanctificantur inde omnes æqualiter, quia intercedit Spiritus S. cujus dona ſunt diverſa. 4. Adamum imputari retrò, quia Chriſtus imputatur retrò. *Reſp.*Hoc telum ex tua pharetra eſt, ſed nimis obtuſum, quam ut lædat, peccas enim *elencho oppoſitorum*, Chriſtum imputari diximus, quia ſponſor omnium factus eſt, cujus vadimonium vi Divinitatis à mundi primordiis fuit efficax. Tale autem quid ex oppoſito in Adamum cadere non potuit. Eve-

Evenit ergo tibi, quod ais *Exercitat. cap* 6 *Quam facilè abyſſus abyſſum invocat, tam proclive eſt, incommodum ſequi incommodum.* Corraſeras nonnulla ex Ethnicorum monumentis, Gentilium Aſtronomiâ, Aſtrologiâ, Theologiâ, Magiâ, Chronologiâ, quæ æternitatis aliquam ſpeciem in rebus creatis referre videbantur, eaque palato tuo arridebant, quia non omnibus obvia, & novi aliquod fabricandi, unde nominis fama conciliari poſſet, anſam dabant. hæc abyſſus invocabat alteram, quia enim hiſtoria ſacra refragari videbatur, vel arca imponenda erat Dagoni, vel Dagon Arcæ. Elegiſti poſterius, hinc tibi Scriptura evaſit manca, mutila, obſcura, hyperbolica, luxurians; idque non ſine cauſa, proculcanda enim erat ſacra veritas, ne fœtum iſtum, quo mentem gravidam geſtabas, enecaret. Mox autem Apoſtolo Paulo in partes protracto, invocata & tertia abyſſus fuit, ejus enim teſtimonio abuti vix poteras, quia Socinianiſmo illud incruſtares, atque ita tandem novum hoc ſyſtema, ex iſtis abyſſis conflatum, tanquam novum aliquod ſidus in orbem noſtrum Theologicum illatum eſt. Imò adhuc plura minaris. Sed quæſo te, Amice, ſat nugarum, ipſe enim in præfatione proteſtaris, te non reſponſurum iis qui contra te ſcripſerint; cui

ergo

ergo bono plura ſuperſtruere fundamento, quod tibi everſum erit? niſi tuis ſomniis, nō convincere homines, ſed obruere in animo habeas. Si nominis celebritatem invides Carteſio, aliud tibi quære ſubjectum, in quo liberius & impunius ineptire poſsis; res enim ſacræ ita deſultoriè, novaturiente carnis affectu, & cruda mente tractandæ non ſunt. Habes Ariſtoteles, Platones, & alios, quos nondum exhauſit Carteſius, in iſtâ Palæſtrâ te excerce, aërem ibi verbera & dimica quantum valueris, vide ut palmam ipſi eripias. At noſtros Moſes & Paulos relinque nobis intactos, ſi ſapere vis, validiora enim iſti heroes arma gerunt, quam ut tu iis par eſſe poſsis, & ipſum Deum vindicem habent; verbum Dei efficax eſt, & inſtar gladii ancipitis penetrat, cujus aciem ne quidem acutiſsimi Hæretici obtundere potuerunt, nedum tu, qui ejus idioma non aſſequeris. Deum itaque ex animo veneror, ut iſtos κενοδοξίας aculeos, Eccleſiæ Ieſu Chriſti, ultimis hiſce temporibus tantoperè noxios, animo tuo excutiat, & mentem tibi ſanam, mentique verbi ſui reverentiam ſpiritu ſuo ſancto ingeneret, quæ ſalutari horrore ad horridam Ioſuæ vocem exhorreſcat, cum diceret Hacani Ioſ. 7. *Perturbet te Dominus, quia perturbaſti Iſraelem.*

F I N I S.